







PARACELSI
1568









THEOPHRASTI

PARACELSI

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE VTRIVSQVE VNIVERSAE,

COMPENDIVM,

Ex optimis quibusque eius libris:

Cum ſcholijs in libros IIII. eiuſdem

DE VITA LONGA,

Plenos myſteriorum, parabolarum, ænigmatum.

Auctore Leone Suauio I. G. P.

VITA PARACELSI.

Catalogus operum & librorum.

Cum Indice rerum in hoc opere ſingularium.

BASILEAE,

M. D. LXVIII.

LEO SVAVIVS NOBILI VIRO RENATO PEROTO CENOMANENSI, S.

LIBROS scholiorum in Paracelsum de Vita longa, tanquam liberos nuper ex me natos, cuius potius fidei cōmitterem, quàm tuæ? qui, quo iure mei sunt, tui sunt quoque mancipio & nexu, amice suauissime, quùm sint amicorum omnia communia: qua ratione autem Philosophia sunt imbuti, tibi Philosophiæ studiosissimo rectè dicantur, vt eorū velut initiationis arbiter eligaris.

Ambitiosis scriptoribus ætatis nostræ fastuosas Principibus consecrationes relinquamus, quibus tanquam ædium suarum frontispica exornent: nos qui otio literarum delectati iamdudum ab eorum comitatu recessimus, magis decet ad eos nostra deferre, qui virtute præditi sunt, quàm inanem gloriolam ex superba dicatione captare.

Sunt plerique omnis doctrinæ exper-

tes: qua fronte speras munus exceptu-
ros, quod quidem quid sit prorsus igno-
rāt? quorsum offers margaritas sui, quæ
granum hordei Cleopatrę vnioni ante-
ferret? Me miserum, qui tot infœlices
noctes ijs decorandis consumpsi: quos
licet scientiarum imperitos agnoscerē,
confidebam tamen virtutem, quæ sibi
deesset, quam in alijs cernerent, vene-
ratum iri. Ista verò tractatio rerum tam
abstrusarum, ad quam perpauci hodie
animum conuertunt, maximè, ab ijs a-
liena est, qui per vulgatas artes nō sunt
cognitione consecuti: te, Perote, digna
est, cui quū liceat per fortunas & opes
in luxu & delicijs vitam transigere, ni-
hil tamen habes optimarum quarumque
rerum scientia charius, nihil antiquius.
De hoc autem scriptore vt dicam quod
sentio, nostro sæculo grauiorem Medi-
cum, subtiliorem Philosophum vidi ne-
minem. At quum pergratum tibi illum
esse perspicerem, & tuo iudicio optimi
cuiusque studium metirer: statui paucis
obscuriores eius locos explicare: nunc
scholijs, nunc paraphrasi, nonnūquam
argumentis, quandoque nuda vocabulo-
rum

rum eius nouorũ interpretatione. Nam diligentes homines, rerumq́ꝫ recondita rum studiosi (quibus solis opus hoc cuditur) ex vno, vt Poeta dicit, discent omnia, & quod lumẽ in vnum locum inferetur, ad alia quoqꝫ eadẽ caligine circumsepta trasmittetur. Quod ad librorum Paracelsi copiam attinet, audio à Germanis propè trecẽtos recenseri. O fœcunditas ingenij! Quod ad operam eius medicã & chirurgicã, præter quotidianarum ægritudinũ curationes, Nurembergæ specimẽ præstẽtissimæ artis edere voluisse: oblatos è publico leprosos duodecim in pristinã valetudinem restituisse: rem quidem multorum fide maiorem, ijs tamen non incredibilẽ factu, qui considerant rara & inaudita illius remedia ex flore Cheiri & Anthos, arcano corallino, de essentia auri, mysterio Antimonij, & quãplurimis huius generis, medicis vulgarib. ne nomine quidem adhuc notis. Quòd si Regibus nostris artes gratæ essent, eas enim (vt ait Cicero) alit honor, omnesq́ꝫ ad studia accendimur gloria: quemadmodũ Francisco magno Regi fuere, nec natura ef-

Libros trecẽtos Paracelsus scripsit.

Leprosos duodecim restituit.

Mira de Antimonio & alijs.

fœta eſt, nec regio noſtra adeò ſterilis ingeniorum, quin ſpes eſſet rerũ maximarum atq; vtiliſsimarum (quas priſci Magi & Poetæ tantis inuolucris texerant) cognitionem noſtris quoq; temporibus, & veritatem tanquàm è puteo Democriti erutã iri. Interea ego, vt tute ſcis, poſt longas peregrinationes ſcientię ergò ſuſceptas, philoſophi illius exẽplo conſumptis opibus, in hortis tandẽ ſuburbanis ciuitatis meæ totus in rerũ naturę pulcherrimarum contemplatione conquieſco, quemadmodum & Iapix Virgilianus, quiquidem

Scire poteſtates herbarum vſumq; medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artes:

vel Menetes, cui

Ars fuerat, pauperq; domus, nec nota potentum
Munera, conductaq; herbas tellure ſerebat.

Nam quũ fortaſſe habuiſſem aliqua ab ingenio fortunaq; adiumenta rerum gerendarum, conditionis tamen humanæ memor, me à principum conſectatione & obſequio libenter abdicaui. Vale. Lutetiæ VIII. Idus Sext. Anno LXVI.

LEONIS

PRÆFATIO

LEONIS SVAVII

DE AVTORIS VITA ET OPERIBVS.

* * *

THEOPHRASTVS *Paracelſus ab Hohenheim in compluribus librorum inſcriptionibus Eremita nuncupatur, néccnon ab Eraſmo Roterodamo, in epiſtola ad eum conſcripta, quamquidem teſtem ſingularis illius doctrinæ hîc inſerendam iudicaui. A quibuſdam, vt Adamo à Bodenſtein, dicitur Philoſophiæ & vtriuſque Medicinæ Doctor fuiſſe, vt chirurgiam hoc nomine comprehendant: quæ magno publico malo hodie ſeparantur & diſtinguuntur. Extat in Medicos liber eius Labyrinthus Medicorum errantium. Extat in Chirurgos liber de Impoſturis eorum, ſed lingua tantùm Germanica, quem audio ab homine Germano iam in Latinã conuerti: à cuius manibus habui prognoſticon eiuſdem xxiiij annorum, ſub ænigmatibus quibuſdam graues ærumnas vniuerſæ Europæ comminatum. Aliorum eius librorum, quorum notitia ad me peruenerit, Catalogum vobis deſcribam. Fuit is natione Germanus, corpore robuſto, at ingenio ſagaci. Natus ſum (inquit ipſe) in Einzidlen regionis Heluetiorum. A patre Gulielmo ab Hohenheim fundamenta habui adeptæ Philoſophiæ. Diciturqu à ibuſdam generoſus, in omniq;*

Paracelſi patria, genus & cõditio.

ſcientiarum genere expertiſsimus: ſed natalium illius ſplendorem, propter locorum interuallum & regionum diſcrimen, non agnoſco. Edidit in lucē nonnulla eius volumina Adamus ille ab Bodeſtein, quæ ſuis præfationibus illuſtrauit, vt hoc de Vita longa, aliud de Gradibus & compoſitionibus receptorum & naturalium, aliud de Tartaro, quod eſt editum cum annotationibus ex ore docentis Baſileæ exceptis. Rectè quidē Adamus, ſi ſeſe intra præfantis cancellos continuiſſet, nec Venetiarum nunc Principi, poſtea Dominis Fucharis ſuam lapidis philoſophici cognitionem veram & certam prædicaſſet: quam nunquam viri ſapientes præ ſe tulerunt, ſuiſq; ſcriptis oſtentationem huiuſmodi damnauerunt. Magna præditum artis chymicæ peritia fuiſſe, eius monumenta ſatis teſtificantur, rerum metallicarum traditionibus inſperſa, quas ipſe nouo verbo Spagyricas appellauit. Verborū enim hac nouitate delectatum ſe quoq; hoc libello de Vita longa palàm affirmat, qua prophanos arceret à lectione, ſapientiæ autem alumnos alliceret. Quorum maiorem partem ex ipſius interpretatione, ab aliјs eius libris petita, hîc enucleabo. Nam, vt Augurellus cecinit, in ijs artibus occultis: (margin: Augurellus)

- fari non omnia par eſt.

Itaq; lib. vlt. de Grad. ſcripſit Paracel. noſter. (margin: Libro de Gradib.)

Atque iſthæc quidem ſunt magnalia illa, quibus ego haud iniuriâ ex natura glorior, ſuntq; horum adhuc etiam plura:

Non tamen vſquam tam apertè vel diuino fauore, vel cuiuſdam philoſophi reuelatione confeſſus eſt

(quemad

(quemadmodum Adamus) se Philosophiæ chymicæ perfectam cognitionem esse consecutum. Imò verò vir ille doctus, qui in Dialogo Chrysorrhoa Theophrastũ collocutorem finxit protaticum, ei talem orationem tribuit: Me verò tentasse quicquam priuati mei emolumenti ergô, nemini vsquam potest esse perspectum. Quamuis à Chrysophilo hæc ad illum. Ex his tuis dictis certior factus sum, te in ipsis absolutæ scientiæ penetralibus versari. Nónne & tu idem multoties præstitisti? Iam verò id pernegas. Nónne tu deploratißimis morbis tulisti suppetias? quum medicorum scholas nunquam sis ingressus, sed solis illis tuis æthereis qualitatibus & abstractis medicandi facultate omnes Europæ medicos anteuertas: illiq́ palmam iam-dudum tibi porrigant. Tergiuersari ergò illud diutius sine graui mea offensa non poteris. Cui Theophrastus, Etiamsi hæc pro veris agnoscerem, nosti tamen à sapientibus esse dictum: quod occultum esse vis, nemini dixeris. Fateor me quidem tum ex metallorum, tum metallicorum energia atq́ efficacia, multa ipsius physices auxilio deprehendisse, quorum praxis ad vtilitatem publicam, ipsamq́ medendi artem plurimùm confert. Me verò tentasse, &c. quum intelligam id regibus ipsiq́ Iasoni fuisse exitio, qui à propria coniuge, fortè quia incautiùs hoc mysterium tractasset, vnà cum liberis funditus euersus, libri autem cum aula regia exusti. Expende iam obsecro, an tale quidpiam homini sapienti optandum sit. Hîc animaduerte, Adame, & agnosce, eos qui hanc sapientiam sunt adepti, eam in sinu continere: cuius ostentatio magnum

Dialogo Chrisorrhoa.

Iasonis exitium.

præbeat inscitiæ tuæ argumentum. Nam initio illius dialogi inquit Chrysophilus, Sed video obambulātem illîc Theophrastum ab Hohenheim, hominem, si quem Germania vnquam tulit, huius artis absolutum artificem. In hanc sententiam Augurellus cecinit,

I. Augurellus in Chrysopeia.

Sed quis tam fragili munitus robore pectus
Non quas hæc vlli vnquàm reseranda tacere?
Nam quem non prohibet rerum prudentia fari:
Quæ sibi continuò, fuerint quum dicta, nocebunt?
Tutus ab insidijs qua se virtute tueri
Posset, qui præ se ferret se condere paruo
Diuitias loculo ingentes? &c.
Thesauros igitur tantos componere si quis
Iam potuit, mirè sub amica silentia seruat.

Iam, vt ad nostrum Paracelsum redeam (quod nomen autor etiam Dialogi suppreßit) legit ipse Basileæ librum suum de Tartaro, quod exponit, fæces omnes humorum interiorum, à quibus varij morbi emanāt: Ibi Frobenium typographum insignem morbo periculosißimo liberauit, de quo gratias agit Erasmus ille virtute & eruditione inclitus, opemq́ in aduersa valetudine implorat, cum testificatione luculenta raræ illius nouæq́ in medendi arte peritiæ. Noua enim posuit artis fundamenta, veteraq́ diruit ac euertit Hippocratis & Galeni Græcorum, Auicennæ, Rasis, Mesuesq́ Arabum: maximamq́ partem remediorum ex officina metallica deprompsit, quemadmodum ex eius scriptis cognosci potest.

REI

REI MEDICAE PERITISSIMO doctori Theophrasto Eremitæ, Erasmus Roterodamus. S.

NOn est absurdum medico, per quem Deus nobis suppeditat salutem corporis, animæ perpetuam optare salutem. Demiror vnde me tam penitus noris semel duntaxat visum. Aenigmata tua non ex arte medica, quam nunquam didici, sed ex misero sensu verißima esse agnosco. In regione hepatis iam olim sensi dolores, nec diuinare potui, quis esset mali fons. Renum piuguedines ante complures annos in lotio conspexi. Tertium quid sit, non satis intelligo, tamen videtur esse probabile mihi, id molestum esse quod dixti. Hisce diebus aliquot nec medicari vacat, nec ægrotare, nec mori: tot studiorũ laboribus obruor. Si quid tamen est, quod citra solutionem corporis mihi poßit lenire malum, rogo vt communices. Quòd si distraheris, paucißimis verbis ea, quæ plusquàm laconicè notasti, fusius explices, aliaq́; præscribas remedia, quæ dum vacabit, queam sumere. Non possum polliceri præmium arti tuæ, studioq́; par, certè gratum animum polliceor. Frobenium ab inferis reuocasti, hoc est dimidium mei, si me quoq; restitueris, in singulis utrumque restitues. Vtinam sit ea fortuna, quæ te Basileæ remoretur. Hæc ex tempore scripta vereor vt poßis legere. Bene vale.

Erasmus Roterodamus suapte manu.

In hac ſuperſcriptione Epiſtolæ deeſt cognomen Paracelſus, ſicut in Dialogo Chryſorrhoas: quod aliquando aſſumpſit, quum proprium eſſet Bombaſt. At hinc vides falsò ſcriptũ à Geſnero, libro Bibliothecæ, floruiſſe eum Baſileæ, anno M. D. XXV. vbi quidem legendo & medicando aliquot menſes tranſegit. Iam quod in Adamo ſumus criminati, nimis eum clarè ſuam ſcientiam oſtentare, timeo ne in contrariam reprehenſionem Paracelſus noſter incidat, qui videtur nimijs tenebris artis ſuæ lumen obruiſſe. Nos verò quam potuimus lucem tam ex alienis quàm illius ſcriptis elicere, eam huc intulimus: quamquidem probus lector æqui boniq́ conſulet. Hoc tantùm adijciemus, Parac. de Grad. *ipſius de hoc libello de Vita longa, in ſuo de Gradibus teſtimonium lib.ij. c.iij. Qua ratione autem hæc in renouatione priſtinæ iuuentutis fiant, libro de Vita longa, velut peculiaria quædam myſteria, quæ in rerum natura præter arcana ſunt, indicantur.*

Myſteriorũ cautio. *At in myſterijs ſcimus ſemper illud vſurpatum fuiſſe,* procul eſte prophani. *Idcircò audite quæ ille ipſe in fine lib. de Gradibus in hanc rem lectorem admonet: Quamuis hæc qualiſcunque demonſtratio ijs, qui ſe medicorum nomine paſsim venditant, obſcurior fortaßis atq; ob id etiam lectu inutilis exiſtat, nihil moramur, neq; præterea eos alia dignamur reſponſione, niſi quòd ob ipſorum imperitiam excuſatos nos volumus. Itaq; quicquid poſthac ſcripturi ſumus, hoc qualequale eſt ſolis dicamus Philoſophiæ alumnis: interim tamen rogatos etiam volumus iuniores medicinæ candidatos, ne iſta ſcribendi obſcuritate*

commo

commoti, vel terreantur, vel desperent: quin potiùs artes indagare Spagyricas studeant, quibus imbuti, huius scripti nostri rationem atq; adeò fundamentum abundè percipient. De artibus spagyricis.

Addam superioribus quæ summa cum diligentia reperi.

Petrus Hassardus in præfatione libri Chirurgiæ maioris attribuit illi libros in Philosophia 136. in medicina 70. in Theologia, Iusticia, Politicis & Magia complures. Quorum plerosque iam Adamo à Bodenstein debemus, alios à Ioan. Sculteto Montano propediem speramus. Libri quidem illi Chirurgiæ maioris anno præterito in manus meas inciderant Germanica lingua non à Paracelso scripti, è quibus magnam iam partem vertendam ab hominibus linguæ peritis curaueram. Adijciam Aureolum ipsum dici prænomine in libro de Tartaro, quem ego habui cum eius expositionibus è viua voce exceptis. Nuper prorsus alius editus est ex tertia auctoris recognitione cum defensionibus vij. aduersus medicos. Petrus quidem Hassardus Philippi etiam nomen illi addit. Charta de noua methodo medendi mihi eadem videtur cum eo libello, quem Ioannes Vvierus lib. de Præstigijs Dæmonum damnat, sub titulo libri Paragrammon, iure quodam vel inuidia medicæ professionis, quamquidem Paracelsus inuento principiorum nouorum conatus est funditus euertere: vnde magnas sibi à medicis suæ regionis ætatisq; contentiones excitauit, quos passim in omnibus libris suis vehementi stylo perstringit. Sed

P. Hassardus.

Ioan. Scultetus.

Aureolus, libro de Tartaro.

Philippus

Charta de noua methodo medendi.

Ioan. Vvierus lib. Paragram.

præcipuè testimonio est libellus vij. esDensionũ, à quo responsum aduersus Vvierum petere licebit. In libro Labyrinthi Latino eius effigies expressa An. ætatis 45. staturam ostendit proceram, faciem grauem, cum fronte ampla, sincipite caluo, mediocri capillo: circum quam erat inscriptio ei familiaris, quamq; frequenter solebat vsurpare:

Alterius non sit qui suus esse potest.

In lib. de Tartaro Germanico, & alijs quibusdam, eius hoc epitaphium reperitur.

EPITAPHIVM.

D. THEOPHRASTI

PARACELSI, QVOD SALISBVRGAE in Nosocomio apud S. Sebastianum, ad templi murum erectum spectatur lapidi insculptum.

CONDITVR HIC PHILIPPVS THEOPHRASTVS, INSIGNIS MEDICINAE DOCTOR: QVI DIRA ILLA VVLNERA, LEPRAM, PODAGRAM, HYDROPISIM, ALIA'QVE INSANABILIA CORPORIS CONTAGIA MIRIFICA ARTE SVSTVLIT: AC BONA SVA IN PAVPERES DISTRIBVENDA COLLOCANDA'QVE ORDINAVIT. ANNO M. D. XLI. DIE XXIIII. SEPTEMB. VITAM CVM MORTE COMMVTAVIT.

In

In tractatu philosophiæ illius ad Athenienses (qui quidem plenus est mysteriorum magnorum, primorum, vltimorum, melosiniæ (verbotenus) pyromātiæ, necromantiæ, chiromantiæ, &c. titulus est, Philosophia Theophr. Bombast ab Hohenheim Sueui Arpinæ Germani Eremi, ad Athenienses.

VALENTII ANTRAPASSI SILERANI, PRAEFATIO IN OPVS Paramyricum, continens opera innumerabilia PARACELSI.

* * *



VVM magni philosophi atque medici Theophrasti libros de medicina atq; philosophia Latinè scriptos, nécnon Arabū Chaldæorum, atq; Græcorum scripta legendo percurrissem: deprehendi Theophrasti scripta, Auicennæ, Hippocratis, atq; Galeni scriptis longè firmiora, certiora, atq; solidiora: ipsius præterea recepta firmioribus, atq; certioribus rationib. & experientijs niti, quàm Rasis, Mesue, aliorumq; veterū medicorū. Quinimò Theophrasti scripta instar argēti igne probati, probatißima sunt, atq; exploratißima. Ipsius de medicina sententiæ, quæ in omnibus eius libris extāt, veterū medicorū sententijs non sunt cōformes atq; similes, imo verò tota eius practica atq; theorica multa singularia intellectu digna complectitur. Nouus quidem est medicus, atq; verus medicinæ inuētor, qui nō ex veterū scriptis, sed ex singulari quodā philosophico fundamento (quod est tanquam album ad nigrum)

deprompta atque desumpta literis mandauit. Ac nisi ipsius libri reipsa atq; sapiētia cæteris multò vtiliores fructuosioresq; inuenti essent: Athenienses profectò eū minimè destructorem omnium errorum, verumq; ad ipsum medicinæ fundamentum ducem appellassent. Quam ob causam Hebræi quoq; ipsum alterum Raby Moysem vocāt, atq; adeò Rabyno suo Moyse multò acutiùs atque subtilius scripsisse consitentur. A Pessulanis denique Germanus Hippocrates, nouusq; Aesculapius appellatur. Quamobrē cùm tantam laudem Germano huic Philosopho atque medico tribui, tantoq; vsui scripta eius hominibus esse videamus, charitate quadam adductus, atq; impulsus Germanicè reddidi, quò vulgus quoque Latinæ linguæ ignarum his vti fruiq; poßit. Quod ter equidem conatus sum, sed frustrà certorum nimirum quorundam doctorum odio impeditus: hic denique quartus conatus fœlicem sortitus est exitum. Hæc tandem scripta à Cyperino Flæno in Gallicam, à Bebeo Rando, omnia quoque in Græcam linguam conuersa sunt: vt aliqua ex ijs à vulgo vtilitas percipi posset. Hoc Theophrasto licet nostra memoria nullus præstantior extiterit, quinetiam, vt Alexāder Perseus in quadā epistola testatur, talis nullus vnquā natus sit: tamen minimè eo volente atq; iubente hæc ipsius scripta in lucem prodijsse videntur: quippe quæ muro inclusa ipso absente serui cuiusdā indicio, furto surrepta atq; sublata sunt. Quæ cùm postea in meas, Claonij Neapolitani, atque Michaelis Greiffsteiuenri manus peruenissent, Latina primò, ea nihil planè immutantes imprimi, postea verò in quatuor linguas

trans

transferri curauimus. De hoc postquam Græci certiores facti sunt, eum Monarcham perpetuũ appellauerunt, propter acutißima nimirũ ipsius atq; subtilißima scripta, in quibus vix minimum aliquod eius verbum reperitur, quod sit nota aut reprehẽsione dignũ. Quia autem veterum uiam sectatus non est, nonnulli prout intelligunt ita ea æstimant. Puteus Benzeuolus ipsius doctrinã euangelia naturalia, veritatisq; promptuaria haberi vult. Nec verò de medicina solùm scilicet 53. libros, quosquidem muro inclusit, verum etiã 236. volumina de Philosophia conscripsit: cuiusmodi Sabeus Dacus nulla vnquam audita fuisse, eaq; Aristotelis scriptis æquiparanda esse affirmat.

Carbuetus autẽ Theophrastũ præ Aristotele haud secus æstimat, atq; literas aureas præ cæcis, aut lumen præ æris carbonibus, in cuius philosophia, omnis Aristotelica acq; Platonica doctrina repudiata est: quorum philosophorũ duas sectas Cyperinus Flænus claudicantes, Randus opinabiles appellat. Multa præterea scripsit, de republica, de arrogantia potentum, de erroribus vulgi, de Theologia, ductus odio idololatriæ, sacrorum numulariorum, magnæq; hypocritarũ auaritiæ. Quibus sanè de causis haud immeritò eius opera germanicè reddidimus, idq; communis vtilitatis ergò, quã ille semper in omni sua uita spectauit, quãq; summum bonum humanum suis de repub. libris appellauit. Rogo autem omnes, qui ipsius libros latinè legerunt, ut si quid me errasse in quibusdam viderint, id corrigant, atq; emendent, meq; sibi commendatum habeant.

CATALOGVS EORVM
quæ hoc opere continentur.

COMPENDIVM Philoſophiæ & Medicinæ Vniuerſæ Ph. Theophr. Paracelſi, Leone Suauio I. G. P. autore.

Ph. Theophraſti Paracelſi libri IIII. De Vita longa.

Primus continet in genere tractationem de Vita longa.

Secundus, enumerat ſingularem medendi rationem, ad vitam ſanam à morbis recuperandam, integramq; conſeruandam.

Tertius, vtitur eſſentijs quintis, & abſoluit arcanum Elixiricum, ad vſum eiuſdem ſanæ uitæ.

Quartus, fundamentis iactis lib. I. Vitę longæ, ſupremam manum imponit: id eſt, ei vitæ, quæ præter naturam exiſtit.

PH. THEOPHRASTI PARACELSI

PHILOSOPHIAE ET MEDICINAE VNIVERSAE COMPENDIVM.

Leone Suauio I. G. P. autore.



TSI non ignoro (philoſophi) reprehenſum eſſe ab antiquis diſſidium artium rectè ſentiendi recteq; dicendi, poteratq; noua hæc Philoſophia (ſi mihi per occupationes licuiſſet) paulò comptior ornatiorq; in conſpectum veſtrum prodire: tamen vt caſta virgo (quæ quidem à fuco & calamiſtris abhorret) maluit ſic incompta diligenti negligentia ſeſe primo quoq; tempore vobis offerre, ſperans etiam ſi nuda cerneretur, poſſe mirabiles ſui amores excitare.

VT Ergò liber hic mirus (quatenus licet per iuſiurandum Philoſophorum) à me exponatur, in genere ea congeram, quę ex autoris eiuſdem varijs libris excutere quodammodo legentis intelligẽtiam poſſunt: nemo enim mihi videtur melior eſſe interpres, quàm ipſe ſui: niſi fortè pauca inſeram ex Rogerio Bachone Anglo, à quo Paracelſus videtur hauſiſſe quamplurima: cum quo in omnibus reconditarum rerum opinionibus maximè conſentit. Quantum ad reticentiam quandam operum abſtruſorum, iudicat ille infra. *Rogerius Bacho.*

ctorem sigilli cœlestis, qui arcana vulgo reuelat. Magiam eam probat, quæ coniungit vnà potestatem artis & naturæ, alia iure à Iurisconsultis damnata, vt lectiones improbatæ: nequis hîc aliá Theophrasto probari existimet.

Characteristica. Characteres verò (de quibus ipse pauca nominatim lib. 11.) aut sunt ad verba signis literarũ inuolutis compositi, continentes sensum orationis: vel sunt facti ad cursus stellarum. De characteribus igitur, sicut de orationibus & carminibus est iudicandum, vt ea sapiens in Philosophorum scriptis ferè cõtemnat, opus

Sigilla naturæ & artis inspiciat. Sigilla autem & characteres, nisi fiant constellationibus debitis ad vultus cœlorum, nullá vim penitùs habere noscuntur. Ars autem vera est, pauci artifices veri reperiuntur. Anima verò rationalis magnis dotibus prædita est, & sicut omne agens suam exerit virtutem, & speciem infert in naturam externam, non solùm substantiæ, sed acciden-

Animæ compulsio. tis: nec solùm homines exercent calore, sed spiritus ab eis magis quàm ab alijs animalibus excitatur ad alterationem corporum extra se. Natura (secundum Auicennam) obedit cogitationibus & uehementibus desiderijs animę. Anima induci potest, non tantùm singularis, sed vniuersalis, vt populi, vt spontè velit hoc

Auri puri gradus. agere vel illud. Natura in auro non potest procedere vltra 20. gradus puritatis: sed ars potest augere mirum in modum gradus naturales aureitatis, & aurum etiam perficere absq; fraude. Et in his ferè est finis naturæ atque artis.

tis.

tis. Sed vltimus gradus, in quem poteſt artis complementum cum omni naturæ poteſtate, eſt prorogatio vitæ vſque in longum tempus. Sapientes enim huic ſe operi dediderunt, excitati brutorum animantium exemplo tam viuaciũ, de quibus extat hoc Virgilij epigrãma. *Prorogatio uitæ.*

Ter denos deciesq; nouem ſuper exit in annos
Iuſta ſeneſcentum quos implet uita uirorum:
Hos nouies ſuperat uiuendo garrula cornix:
Et quater egreditur cornicis ſecula ceruus
Alipedem ceruum ter uincit coruus: at illum
Multiplicat nouies phœnix reparabilis ales:
Quem uos perpetuo decies præuertitis æuo,
Nymphæ Hamadryades, quarum longiſsima uita eſt.
Hi cohibent fines uiuacia fata animantum:
Cætera ſecreti nouit Deus arbiter æui.

Melius apud Plutarchum Phœnix, *Plut. lib. de ceſſatione trac.*

——Iouis alma propago
Quem decies ueſtro, Nymphæ, præuertitis æuo.

Hæc ex Heſiodo ſumpta oſtendit Plinius. Primus (inquit) de ſpacio & longinquitate uitæ aliqua prodidit, fabuloſè ut reor, multa de hominum æuo referens cornici nouem noſtras attribuit ætates, quadruplum eius ceruis, id triplicatũ coruis. Et reliqua fabuloſiùs in Phœnice ac Nymphis, in quibus notandũ quod nouiſsimè canit de Hamadryadibus nymphis, ad cognitionem eorum quę libro 4. de Vita longa ſcribit Paracelſus de Enochdianis immortalibus, de Nymphidica natura, de geſtis Meloſines, de laureo, Siconio, Hilernio, *De Nymphis.* *Lib. 4. c. 4. & c. 5.* ,, ,,

" quorum natiuitatem nec mortem naturalem
" nemo vnquam neque deprehendit neque audiuit. Ad quorum intelligẽtiam sunt primùm statuenda fundamenta philosophiæ illius ad Athenienses, quam è lingua germanica mihi vertendam curaui.

Ex lib. Philosophiæ ad Athenienses.

Mysteria diuersa.

Primum initium rerum appellat Mysterium magnum, ex quo vult omnia mysteria creata vel cõdita. Aeternum esse causam eorum quæ uidemus omnium, & esse coniunctum cum rebus caducis. Sed æternitatem esse incognitam nobis mortalibus vnde pariter ignotus sit animæ ortus, aduentus, discessus. Aeterna esse nata non genita. Materiam illam primam esse imperceptibilem sensu, initium tamen omnium elementorum. Mysterium illud magnum tradere omnibus rebus sua mxsteria generalia, & sicut diuersa mysteria successiua nõ apparent in præcedentibus, sic omnia inesse in mysterio primo. Omnia creata simul eodemque tempore, esse in increato, sicut imago in ligno. Exemplũ rude mysteriorum cerni in lacte, quod mysterium est casei, butyri, atque huiusmodi caseum esse materiam etiam vermium qui in ipso nascuntur. Terra nititur columnis archaltis: aer est arca inuisibilium, aqua Nympharum. Terra præbet thronum, aqua Turas, Aer famies: & sunt magnalia Dei. Separatio prima mysterij magni sunt elementa: firmamentum separatum est ab igne, â quo firmamento stellæ tanquam flores ab herba: sed splendor est ab arcano, non ab igne, in sole

&

& ſtellis. Aer fuit deſtinatus omni elemento, non quòd cæteris elementis inſit tanquá mixtum quiddam, ſed inſerit ſe quodámodo, nec occupat quod eſt occupatum. In elemento terræ ſunt Gnomi, viri ſylueſtres, mulieres nocturnæ, gigantes: in elemento aquæ eſt etiam cõuerſio in carnem, ut in Syrenes, in Drames, in Lorindt: Neſyder, in quædam animalia rationalia æternitate quadá in ſuo corpore prędita, non ab alijs generata. In elemento ignis variæ ſpecies ignium diuerſorum graduum, ex quibus colorum varietas. Omnia autẽ elementa continere aliqua rationalia & irrationalia, ſic ex elementis ſeparationis procreationum, & ex procreationibus poſtrema myſteria. Elementa autem quatuor totidem eſſe mundos. Sic Plato, qui numero mundos *Plato.* ad quinque de ſingulis elementis ſingulos cõſtituere, credibilitatem eis conceſsit, licet ſeſe *Cœlum quinta eſſentia.* in vno tenuerit. At vt paulò magis explicemus illa animantia, Lorindt eſt cõmotio mu- *Lorindt.* tationis vel alterationis elementi aquæ, ſicut eſt cometa in firmamento: ab ijsq́ue eſt vaticinium & prophetia rerum mirabilium. Melo *Meloſyne.* ſyne autẽ quamuis ex aere eſt & aer, tamen ibi fit coniunctio in alio elemento vt terra. Fieri enim poteſt quædam copulatio aeris cum hominibus, vel inſinuatio, vt in maleficijs fit & in incantationibus per ſpiritus. Alibi verò diſtinguit clariùs, Diemeæ habitant in duris la- *Diemeæ.* pidibus, quoniam ita in vacuum & inane ſunt diſtributæ cum aere: Durdales in arboribus, *Durdales.*

quoniam illorum ſeparatio in ſubſtantia facta eſt. Neufarem habitant in aere terræ, vt in poris terræ. Meloſinæ ingrediuntur in ſanguinē humanum, quoniam earum diſtributio aerea eſt in corporibus & carnibus. Cæteri omnes ſpiritus inſident in ſingularibus & diſcretis ſtationibus aeris, manentque in ſuo propriè elemento. Quòd ſi nymphæ habitent in terra & gignant, fit ex raptu. Similiter & aereæ vt Meloſyniæ, ſi veniant ad terreſtres, fit ex raptu: itidem Trifertes qui ſunt ignei. Hæc Paracelſus in ſua myſtica philoſophia: quibus addemus, multa huiuſmodi (vt magorum libros prætermittamus) reperiri in priſcis autoribus, in Plutarcho, in Auguſtino de Ciuitate Dei, ſcilicet Auditum in ſyluis Faunum perſonantem, Magnus Pan mortuus ſub Chriſti mortem, de qua re Tyberius iuſsit diligenter inquiri, ſub quo paſſum eſſe conſtat. in Suetonio: de Cæſare, cui apparuit quidam eximia forma in Rubiconis ripa, qui tuba claſsicum exorſus pertendit ad alteram. Alexander ab Alexandro in Diebus genialibus, libro 1. cap. 8. Tritonum duorum meminit, totidemque Nereidum. Tritonem priorem in melle ex vltima Mauritania & Oceani finibus ad Hiſpaniæ regulos allatum, & à Draconeto Bonifacio Neapolitano patricio uiſum: poſteriorem in Epiro ad fontem iugis aquæ marinis ex vndis perrepſiſſe, indeque mulierem quæ aquatura venerat abripuiſſe, cum eaque concubuiſſe refert. Nereidem porrò priorem à Theodoro Gaza in

Neufarem.
Trifertes.
Plutarch. de ceſſat. orac.
D. Auguſtinus.
Pan magnus.
Tritones uiſi.
Nereides uiſæ.

in Peloponeso visam, atque ideo è littore sicco in mare iterum brachijs & cauda retractã: posteriorem verò à Georgio Trapezuntio cõspectam esse ait: puellam nimirùm eleganti forma vndis extantem pubetenus, & quasi lasciuiret subinde emergentem summergentemq; se, quoadusq; se conspectam intelligens, haud ampliùs apparuit. At de Melosynis, inuenio antiquitus Musas Melusas dictas fuisse, Palæphato autore. Est quoque apud Gallos Pictones illustris memoria Melusinæ Heroinæ ditissimæ, cuius monumenta extãt oppidorum & turrium celeberrimarũ, Lusignani, Voluentij, Moluantij, cuius gens patria atque origo incompertæ manserunt. Hæc verò multis existimo incredibilia futura: statuere autem videtur Paracelsus omnia elementaria corpora resolui tandem in suum elementum, vt humana in humum, Nymphas in aquam, Melosynas in aerem: sicut de Melosyne Pictonica sua in historia testatum est, deprehensam à viro in balneo secreto, contra pacta eorum conuenta, in aerem euolasse, nec vlli postea visam esse. Sed ne hæc velut naturæ miracula quenquam offendant, ipse lib. 4. iubet lectorem ante cap. 5. assertionem cohibere, in quo hæ parabolæ de mystica quadam philosophia artificiosa explicantur. Ista tribuet Plinius magicæ uanitati, quamuis Egeriam Nympham Romana antiquitas in rege Numa testificetur, & Lares familiares in Rege Seruio. Non minus coarguetur ex Plinio longinquitas vitæ in Ba-

Musæ. Melusæ. Melusina Pictonica.

Interpretatio monstrorum lib. 4. cap. 5.

chone & Paracelſo, quam in Anacreonte aut Xenophonte, qui quidē Impetrim Pulutiniorum inſulæ regē octingentis annis vixiſſe ſcribit, & filium eius ſexcentis. Quæ omnia exiſtimat inſcitia temporum ſcripta eſſe, quod alij annum æſtate vnum determinabant, & alterū hyeme: alij quadripartitis temporibus, quidā lunæ ſenio. Centum tamen quinquaginta annos in aliquibus probat. Quaſi verò ſi Adam, Mathuſalem, alijq; olim nongentos tranſegerint, alij qui tum memorātur C. vel lx. compleuiſſe, ad hæc modica Plinij ſpatia redigantur? ad expoſitionem vel confirmationem Paracelſi de huiuſmodi animantibus, non huc cōgeram multa, quæ Apuleius præclarè de dæmonibus lib. de Demonio Socratis reliquit, ſecūdum elementa diuerſis. Omittam etiam quæ ſunt de his occultæ magiæ monumentis comprehenſa: tantùm adferam ex Platone, qui Dæmones tollant è medio, interpretē inter Deū & homines naturam atque adminiſtram amouere: Et illud pulcherrimum ex Xenocrate ſodali eius exemplum trianguli, æquilateri Deum, vndiq; inæqualis, homines, cruribus exæquato cum inæquali baſi dæmonas referentis. Nec immorabor diſceptationi Plutarchi, qui Plinio incredulior centum annorum terminum humano generi denegat, longum autem iſtud Heſiodium in quibuſdam alijs animantibus ſpatium ad ſcrupuloſam rationem ſubducit. Cenſet autem Heſiodus certis temporum curriculis dæmonas interire, quibus Plutar-

Impetrix Rex vixit annis 800. Filius eius 600.

Hæc ad △ myſticum & delticam impreſsionem Paracelſi. Contra Plutarchum.

Plutarchus amores & alios casus humanis similes tribuendos monet, nō Deo æterno, sancto, immortali: in quo videtur eluere aliqua Lactantij & Augustini argumenta, istas actiones in Dijs interpretantium: quorum (inquit) nomina libenter dæmones sortiuntur, nempe eorum quibus sunt attributi: vt Iouis, Iouij: Mercurij, Mercuriales. Nec absurda apud Hesiodum longinquitas vitæ Naiadum, si non antè interituras ænigmaticè intelligat, quàm vniuersus orbis extremo incendio deflagret: nisi quis non de Dæmonibus aut Semideis, sed cum humore ipsius aquæ elemento solo consumendo acciperet. Confirmat etiam consuetudinem hominū cum Nymphis ceremonia Cretensis, in qua simulachrū Moli capite truncatum spectabatur, qui ita repertus fuerat vbi Nymphæ probrum intentasset. Neq; uerò cōtrà autumandum (autore Plutarcho) corporum humanorum delitijs Dæmonas rapi: sed animorum, quorū tantùm gratia corporibus inhiant. At, qui præsagia & vaticinia hominibus synceris, incorruptis, contemplationique deditis adimunt (quæ naturæ similitudinem & consensionē cum dęmonibus demonstrāt) eorum mentes ergastulo sordidi corporis demersæ nihil tale senserunt, maioremq; ij cum beluis, quàm cum dæmonibus seu Angelis affinitatem suam profitentur. Sic Stoici in tanto, vt alij obloquuntur, Deorum populo vnū sempiternum, alios natiuos atque interituros statuūt: quanquam pleriq; id non antè euen-

Naiades.

Moli Creten. simulachrū.

turum arbitrantur, quàm vniuersa hæc mundi molitio dissoluatur. Humanæ autem vitæ spatiũ longè aliter est coercendum, licet (inusitato miraculo) Artephius dicatur à Bachone ope sapientiæ suæ annos mille vixisse, quẽadmodum alij quidam primo mundi seculo. Ars enim perfecta (quum natura non deficiat in necessarijs) potest remedium suppeditare aduersus defectum regiminis, & aduersus hæreditariam corruptionem, vel in parte vel omninò, vt accidentia senectutis retardentur, citra tamen duos terminos vnicuiq; pręfixos, tam à sua natura vniuersali ex reliquijs labis antiquę, quàm à particulari & domestica vniuscuiusque insita semini. Hos enim terminos duos transgredi nemini licet, terminum duntaxat corruptionis propriæ licet. Nec verò, vt prisca illa annorũ millia iam attingamus, post tantam naturę deprauationem, sed vt facilè centenarium numerũ compleamus. Hęc sunt ex antiquæ philosophiæ penetralibus, tanquam præsentis Paracelsi institutionis fundamenta, reliquæ erunt ex uaria librorum eius penu depromptæ interpretationes. Præcipuũ in hoc tractatu est flos cheiri, qui in essentia auri existit. Sic lib. 3. Chirurgiæ maioris nominauit flores auri, flores corallorum, &c. Descripsit autem rationem præparationis liquoris huius, hæmatini, argẽti uiui, solis (ita Adamus eius præfator ex libro Chirurgiæ nouissimo appellauit) in libro illo chirurgiæ scilicet, ut calcinetur aurum extra naturam metallicam, &

Artephius ope sapiẽtiæ suæ mille annos uixit.

De flore cheiri.

& ductilitatem per aquam salis, deinde abluatur calx aqua dulci: postremò color seu tinctura per essentiam uini quinta essentia eliciatur. Eandem uiam attigit libro vltimo de Tartaro: dicens, Aurum liquefieri, & in resinam redigi, non tantùm corrosiuo (de quo infrà lib. 4.) verùm etiam alijs simplicibus appositis atque vtilibus, vt manna ex floribus extracta, vt vini essentia curuata, quæ aurum in oleum album reducunt. Fit etiam tincturæ extractio à corallo, de qua libro illo Chirurgiæ, ne quis imprudenter libro sequenti cap. de podagra legat arcanum corallinum, quod fit de essentia auri: nam disiunctiuè legendum est, vel quod fit, &c. Quarum tincturarum confectiones tradam in hoc compendio. Post aurum Antimonij tinctura vsus est creberrimè, vt ipse testatur in morbis extremis & deploratis: vsus etiam laudano seu ladano, quod secretū suum singulare nuncupat. Est autem ladanum velut gummi arboreum, sed è rore. Quæ dicuntur hîc Gamaheę imagines, appellat Gammahi in libro Chirurgiæ. Sunt autem lapides à natura insculpti ad res expressas ea forma mirabiles: de quibus Arnaldus similiter in Antidotario. Alcalia, quæ illi sunt frequentia, intelligit salia ex varijs rebus potissimū metallicis arte confecta. De Balsamo multa hîc passim: sed distingui debet, vnus enim est naturæ, qui est liquor salis interior, præseruans corpus à corruptione, sicut dicebat Plinius animam suibus datā pro sale, ne putrescant. Alius est exterior, isq;

Ladanum.

Gamahi.

Alcalia.

Balsamus.

duplex:naturalis & artificialis:naturalis, quē idē scribit in sola Iudæa reperiri, cuius liquor hodiè tanquam à vite lachryma, pretiosissimi muneris loco mittitur à Turcarum imperatore ad Regem Francorum. P. Hassardus asserit se in quibusdam Austriæ montibus reperisse, & veram pariter terram sigillatā, licet sigillatam non debuerit nūcupare, quæ à sigillo Turcico nomen hoc traxit, non magis quàm lemniam à Lemno insula. Fit autem huius balsami præparatio in essentia quinta, Chymicorum præcepto. Alius est balsamus, vt hypericonis, de quo ille in Chirurgia, & aliorum simpliciū. Quę de Hippocrate dicuntur, eius Musam frustrà insudasse in secretis vitæ longæ. Idem dixit Rogerius Bacho, multu eum sciuisse, & Aristotelem, multa Galenum, sed plura ignorasse, quæ sequens ætas è tenebris eruit, & in lucem protulit, Horatio autore. Sese enim in corpore hoc curando totos occupauerunt, quod est sensibus subiectum, & tanquam ergastulum alterius corporis, id est spiritus corporei, vel potiùs animæ, de quo quædam Marsilius Ficinus scitè ex Platonis sui sententia: Theophrastus noster corpus inuisibile appellat. Nihil illi cælestes influxus curauerunt, nihil de subtilitate essentiarum artificio ignis eliciendа cognouerunt. Itaq; de his rebus Paracelsus studiosè tractauit, sed more Philosophorum veterum in varijs libris suam intentionē dispersit. Quorum ego è quibusdam hæc vobis paradoxa collegi, ex quibus mentem illius in

P. Hassard.

Balsamus in Terra sigillata

Terra sigillata.

Corpus inuisibile.

in huius libelli allegorijs, parabolis, ænigmatibus facile ſit conijcere.

Ex libro de duplici Anatomia.

Maius aliquid eſt, à quo ſubiectum patitur, ſcilicet accidens cui eſt obnoxium, vel anatomia eſſentialis. Corpus phyſicum eſt tanquã ſubiectum. Anotomia eſſata parens eſt morborum. Attingit ibi diſcrimen, de quo hoc lib. 1. uitæ natiuæ, & uitæ longæ, ſeu præter naturam: cuius exemplum propoſuit in eo, cui gladio iugulum diſſectum fuerit, vt ictus vitam abſtulerit longam, reſtet tamen adhuc vita, qua corpus ſubſultat, ſcilicet natiua: in quo adijciam uitam illam eſſe in corde fonte ſuo, quod rectè Ariſtoteles dixit primum viuens & vltimum moriens. Ex hac autem ratione miraculum illud proficiſcitur ſanguinis paulò poſt mortẽ exiliẽtis à corpore ad occurſum illius qui vim intulit: de quo multa Lemnius Leuinus lib. de ſecretis naturæ miraculis. Sed ego quum tali ſpectaculo interfuiſſem in infante, quem ſuſpicabamur à nutrice temulenta ſuffocatum, & ſanguinis fluxum è naribus bis ſpectaſſem, bis ad primum & ſecũdum occurſum cogitaui id accidere in violẽta morte peremptis, quòd in alijs ſpiritus vitales ſuo tempore exhalarunt.

Paradoxa ex Theoph.

Vita natiua ex lib. de vita longa.

De ſanguine exiliente à cadauere.

Sed quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed miſera ante diem ——

Virgilius.

Ideò viuaces ſunt ſpiritus, tanquã vi compreſſi, nec ſanguis facilè adhuc congelatus, qui ſenſum aliquẽ allatæ iniuriæ præ ſe fert. Lemnius rationes adfert magis ſpecioſas dictu, quàm

veritati innixas. Motus enim corporis ab aſtantibus fluxũ ſanguinis per os potiùs quàm per nares commoueret.

Quum homo ex opinione ſapientum antiquorum dicatur Microcoſmus, impreſsiones mundi maioris comparat ægritudinibus hominis, quumque ſit formatus de terra, accommodat illi per ſimilitudinem omnes ſpecies mineralium: quibus etiã leuiter erant vſi medici humorales in humoribus ſuis. Itaq; vitriolum, alumen, nitrum in corpore nuncupat, quodquidem conſtare ſtatuit tribus tantùm, ſulphure, ſale, liquore ſeu mercurio: iſta tria à Chymicis mutuatus, maximè Ioanne Valentiano, qui tria hæc vno verſu gallico copulauit in hanc ſententiam.

Hominis formatio. Et quomodo mineraliũ ſit particeps.

Vnde manat ſulphur, ſal, oleum.

Quando aliquod illorum læditur, fit deſtructio in corpore, quæ tollitur per tincturas arcanas, non per euacuationem, quæ tollit tantùm excrementa: in his verſari medicos vulgares, in illis vnicum Theophraſtum Adamus præfator affirmat.

Bolus, ſiue lutum, corpus eſt in quo nullum mineralium locum habet: ſimili quoq; pacto & principaliora membra in ſeipſis tale quid minimè patiuntur. Corroſiua in principalioribus membris non perinde atq; in exterioribus partibus exulcerant. Morbi naſcuntur ex corpore, tanquam fundo, ſicut ex tellure ſpinæ, vepres, &c. Fœtum manare ex oſsibus, pomum ex centro ſeminis.

Exi-

Eximendam virtutem à ſimplicibus, corpus eorum relinquendum. Eius enim fæcibus opprimi ſtomachum ægri, tartarum in corpore eius relinqui, quod ſit cauſa morborum variorum.

Medicos in ſuis quatuor humoribus (quod eſt artis eorum vnicum fundamentum) valdè hallucinari: eorum enim tam multiplicem eſſe in humano corpore mixtionem, vt non facilè poſsit morbus vni alicui attribui, & quum ratio dominantis locum plærunque non habeat, videlicet in proxima æqualitati mixtione. Nullos per ſe inſanabiles morbos, nec epilepſiam, nec hydropiſim, &c. Singularum rerum monarchia pręfectum ſuum habet, naturæ lumen.

Morbi terminũ peritus medicinę artifex poſtquàm cognouit, in duodecim partes diuidit, primam, & alteram dimidiam in ſanando ſibi ſumit, cæteras decem & dimidiam citò abſcindit abigitq;.

Phyſicam ad rerum cognitionem eſſe medico neceſſariam: Chymiam ad earum rectam pręparationem: Aſtronomiã ad temporis ineundam rationem in rerum adminiſtratione, tam medica quàm chirurgica.

Triplices eſſe medicos, quoſdam ex natura & conſtellata influentia: quoſdam diuinitus datos, quoſdam præter naturæ inſtinctum diſciplina inſtructos, qui infeliciter & inſcienter medicinam exercent, vt ab operibus cognoſcũtur. A cœlo ſępe noui morbi, qui ſine aſtro-

Medicorum genera tria

rum cognitione facilè non curantur. In rebus venenatis res inesse maximè salutares: Arcanum enim veneni ita munitum esse ac tutū, vt à veneno lædi nequeat. Idem Arnaldus de arsenico philosophicè præparato.

Veneni energia.

In calculo mucilaginem esse corpus: salem esse virtutem quæ coagulet. Quemadmodū cortex ad arborem, sic tartarus ad lapides referatur. Tartarus alius lutosus, alius petrosus. Mineralium spiritus strumas efficit. Tartarum à cruore natiuo à ciborum excrementis profici sci cum debilitate Archei œconomi corporis, & auxilio spiritus salis. Semen arboris, exigua res putrescit: illa putredo est materia prima quæ ingreditur in generationē, & formari incipit, vnde in tantam magnitudinē excrescit. Sperma vix vnius pisi magnitudine est, reliquum humor superfluus spumosus, a quo nōnunquā tartarus, id est calculus hæreditarius. Podagra indicat tartarum glutinis albi.

Semen.

Sperma.

Tartarus, siue calculus, alius lętalis, alius chronicus, alius lenis, alius præteriens.

Tartari diuisio & remedia.

Remediū in triplici ratione, vt alimenta à tartaro purgentur, vt spiritus salis coagulatiuus debilitetur, vt tartari massa & spiritus coagulationis seiungantur. Podagra quæ dicitur nodosa, dici debet granulosa.

Ex ignis elemento manāt colores vt diximus varij: inter quos mirum in Saturno post putrefactionem elici rubrum, album, flauum, in Luna verò cæruleum.

Ignis. *Saturnus.* *Luna.*

Corporū quodlibet in tres partes diuiditur, ita

Corporum diuisio.

ita tamen quod istæ partes mixtæ sunt in omnibus elementis vnius formæ ac coloris: scilicet in Sal (quod est Balsamum) in Resinam (quæ alio nomine Sulphur) & in Liquorem qui aliter Cotoronium dicitur. Ex his tribus omnia proueniunt, id est tam procreationes elementorum corporis limi, quàm physici. Ex his quoq; quælibet corpora afficiuntur: ex his fiunt metalla, metallica, lapides, herbæ, &c.

Duplices species corporum in vnico physico corpore inueniuntur. Spiritus Olympicus, qui vmbram auellit (in quo consistit ars Cabalistica) est astrum in homine: Elemēta sunt matrices. *Corpus physicum.* *Cabalistica.*

Astrum sulphuris, est scintillatio ignis.

Astrum salis, est resolutio.

Astrum mercurij, est sublimatio.

In ligno Mercurius cùm aduritur, euolat, sal remanet, sulphur inflammatur.

Lumen naturæ est magnus mundus.

Corpus aliud spermatis, aliud nutritionis.

Imaginatio mulieris ab astro, infixa mēstruo, tanquam subiecto spiritui muliebri.

Sanguinis varias esse species in varijs venis: qui sanguis est elementum aquæ: quamuis enim sit calidus, non id à natura, sed vt terra sole incalescit, sic is à cholera. *Sanguis aquæ elementum.*

Si in tabulas ponas confecta ex vualtinsemet flauum lapidem ocularem, interuallo trium palmarum à vitriolo, vitriolum amittit suum colorem & virorem, qui in lapide reperitur. *Miraculum vitrioli.*

Ex Labyrintho medicorum errantium.

Vt nubecula cœlo ſereno grandines, imbres, fulgura parit, ſic circa ægritudines theorizandum eſt.

Forma directoria. Forma eſt ſpiritualis, inuiſibilis, ſiderea. Vanus ſermo eſt de directorijs, vt ſaluia ad caput, maiorana & lauendula. nam eufragia non eget vehiculo ad oculos. Ex forma enim ſua oculari ad membrum ipſum ſpontè ſe confert. *In herbis mēbra hominis* Sunt in herbis omnia mēbra hominis, cor, hepar, &c. non figura, ſed proprietate: & quum eſſentia herbę ſumitur in corpore, cor tendit ad cor hominis: ſic dactiletus hauſtus cancro medetur, quia forma eius cancer eſt. *Cancri medicina.*

Hydropiſis. In hydropiſi adeſt ſemen metæoricum, quod reſoluitur in pluuiam, pluuia cadit in imũ, & tunc fit lacus.

Excrementorũm euacuatio. In excrementis humanis non fel quandoque, ſed color fellis adeſt.

Symphyti, Sapphiri & Smaragdi vires. Symphyto ſanantur fracta crura, & alia oſſa, item ruptura.

Sapphirus experimento ſanat anthracem.

Smaragdus internus eſt elixir ad longam vitã, qui tamen lapis non eſt.

Mineralium aqua. Aqua eſt mater mineralium: ideò ſpagyrus cõficit ex eis rubinos, &c.

Aurum curat aut palliat lepram.

Icteritia eſt ex croco auripigmenti.

Conſolida Crocus Aurum. Quicquid ſal cõſumpſit, conſolida curat: quicquid ſulphur diſſoluit, inſtaurat crocus: quicquid mercurius nimis ſubtile reddidit, aurum condenſat.

Ait

Ait nihil à natura perfectum ſimpliciter in materia prima: ſed in ſecunda & tertia perfici à Vulcano, quod intelligendum πρός τι, id eſt, ut accommodentur vſui alieno, quia ſunt omnia ſimpliciter perfecta in ſuo eſſe.

Myſteriorum enarratio.

Sed ad difficillimorum Paracelſi axiomatũ conceptionem nouiſsima ſit hæc acceſsio: fauete iam linguis animiſq́;. Hominem eſſe microcoſmum, ideò vt intrinſecus cognoſcatur: homini medico neceſſarium eſſe lumen naturæ, ſcilicet cognitionẽ rerum in maiore mundo conditarum, vt oriantur, vt creſcant, vt immutentur, ut intereant omnes: quò poſsit in interiorem & abſtruſam hominis naturã mentis acie penetrare. Et quum ex Ariſtotele Sol vel cœlum & homo generent hominem, cœlum eſt ei cognoſcendum. Ad hominem porrò conſeruandum nihil homine ipſo præſtantiùs debet exiſtimari, vt ſanguinis balſamo, vt mummiæ liquore: quæ ſi nimis in eo exiccantur, ſulphur eius incenditur, ſal in calcem conuertitur, & corpus humanum perit. At ſol quidam inuiſibilis ignem in homine fouet, à philoſophis traditus, Archæoque oblatus, qui natiuo ſuo igne foto ab illo, ac recreato, chymiã in ſe Vulcanicam exercet, qua purum ab impuro ſecernit (id eſt ex Theophraſto in Chirurgia) aurum ſuum purgat, partim à chymo & fæce metallica, partim à realgaris vapore toxicato. Sic (ut in antimonio loquutus eſt) humani corporis valetudo in ſupremum auri ſui

Homo microcoſmus.

Hominis generatio.

Solis differentiæ.

gradum attollitur, qui quum materia sit eius suprema, eò longius abest à prima infimaq; limi terrestris, sic reditu in suam terram retardato. Sol itaq; assumptus, in suam velut sphæram hominē extollit: ne ignores in fabulis priscis poetarum, id est magorū, eundem esse solem atq; Apollinem, quod philosophi quidam verbo perstrinxerūt, ratione non explicarūt. Ideò enim Apollo Deus est medicinæ, vt Ouidius etiam cecinit.

Apollinis & Aesculapij mythologia. Ouidius.

Inuentum medicina meum est.——

Ideò Æsculapius eius filius: quòd in sole ipso cœlesti ritè suscepto, in terrestri commodè assumpto, vis humanæ naturæ summa consistit: ne quis frustrà tam multa de auri multiplici præparatione in Paracelso existimet.

Sacræ triadis energia.

Quanta verò sit vis sacræ triadis à cœlo diffusa in omnem naturam (quod Gulielmus Parisiensis noster olfecit) in hac solis ad nos attractione demonstratur. Nam ex perpetua rerū naturalium circuitione, inferiora (quanquam subiecta) attrahunt superiora, & tandem conuertuntur. Hæc nonnulli olim de mutatione hominum in dæmonas, dæmonum tandem in Deos mysticè fabulati sunt. Solem autem Dei esse simulachrum naturale, Lunam dæmonum, propter naturā eius cælestem terrestris quodammodo participem, indeq; astrum olympicum & Proserpinam duplicem, quibusdam etiam triplicem iure appellatam: faces autem, fulgetra, stellas crinitas simulachrum esse mortaliū: ut hîc obiter confirmemus elementorum

Metamorphoseon ratio.

Proserpina triplex.

torum in Paracelso commixtionem non esse ridiculam, nec ex vana quapiam eius imaginatione manasse. Est enim ex Platone, etsi omnia ab vno duxerint originem, quædam omnium in omnia per concretionem & dissipationem sese conuertentium vicissitudo. Aer ignis extinctione nascitur, vicissimque attenuatus ex se ignem reddit: ex duobus ignibus commixtis vnum gignitur aeris elementũ: contra aer minutatim dispertitus in duo ignis corpora dissipatur, rursumquè compressus & in se considens, in humorẽ abit, vt in omnibus id quod prius existit procliuem, semper alijs ex sui mutatione originem præbeat: & aliud quodque in alio corpore anticipatam quandam & principem originis suæ vim retineat. Aeris tamen & aquæ, vt ille à Græcis accepta ad Athenienses scripsit, natura maximè promiscua fuit, quę quidem in prima chaos distributione multis alijs generibus admixta secesserunt. Nec ille, vt mysteria absoluam, Melosinas suas & Nymphas aeris & aquæ velut habitum quendam vimque constituit in eis fusam: nec tanquam signa basi affixa, sed quæ extra etiam prodeant in aliena elementa, licet raptum, hunc quendam libeat profari.

Omnium rerum vicißitudo.

Paracelsus sup. de aere diffuso in alia elementa.

Melosinæ. Nymphæ.

De vegetalibus.

Restat de vegetalibus tractatio, quæ à spagyricis aliquando metaphoricè intelligũtur, vt infrà de Lunaria, & de quinta essentia Lullij: de flore cheiri & anthos: aliquando simpliciter non tamen cap. de extractione quintæ

essentiæ, &c. de qua hîc ego paucis Philosophorum opiniones complectar.

Lapidis philosophici materia. Quidam in opere lapidis philosophici materiam statuerunt in vegetalibus, de quibus Geber. Poßibile quidem ponũt, sed non eis: Ante enim vita deficerent, &c.

Quidam liquorem tantùm vegetalem eligunt ad dissolutionem materiæ metallicæ: in quo uel ratione, vel autoritate nituntur. Autoritas præcipua videtur Raimundi Lullij, à quo etiã ratio elicitur hæc: Si elementa lapidis omnia essent mineralia, non possent penetrare, transformare, multiplicare.

At Raymundus in epistola accurtatoria dicit, in via mineralium esse menstruum, cuius spiritus solam tincturam fermenti multiplicant: quod nominatim distinguit à vegetali ne quis alleget ex Quęstionario eiusdem, menstruum quoddam ortum à vegetalibus non magis quàm vegetatiuam plantatam in aureitate & argenteitate, in quæstione prima. Nam si vegetatiua ibi de plantis intelligeretur, fieret opus ex auro, argento, & plantis tantùm: imò opus maius ex mercurio vegetabili, concordante cum quocunque metallorũ. Erit ergo hoc vegetabile (vt dissoluens quod coagulari debet à dissoluto) pars altera materiæ lapidis.

Primũ principiũ, argentum viuum cũ metallis. At lib. I. Raym. Primùm, inquit, principiũ sunt argentum viuum cum omnibus suis metallis: quæ verba sonant de argento viuo minerali, à quo metalla ducunt originem: ne quis alleget ex cap. de modo extrahendi mercuriũ à propinquis-

pinquis-

pinquissimis indiuiduis, illa esse vegetalia. Nã si tartarum accipis (vt sonat sal eius vitæ lib. magiæ naturalis) erras, quum mel potius sit sumendum: in quo mercurius habet duas operationes, in tartaro unam tantùm. Itaq; non est dubitandum Raym. metaphoricè esse locutũ in aqua vitæ vt Geber. dixit philosophos multa dixisse per similitudinem: quum lib. 1. cap. dicto de modo extrahendi, addat: quare arbitrabantur se grande secretum reperisse. Et paulò post: quod verò non est de ordinatione nostri lapidis, Rosarius minor interpretatur. Solutio fit cum mercurio, viuo & aqua vitæ (dum ablutus est) sed in primo dicitur venenum, seu res mortifica. Sic Augurellus de Raymundo loquens.

Metaphora Philosophi sæpe utũtur.

Rosarius minor.

Raym.

——*Cuius miro uelamine tectus*
Ipse liquor quo cuncta madent, iam credere multos
Impulit ui Bacchi, &c.

Aqua enim vitæ rectè dicitur pro humore vitali seu radicali vniuscuiusq; rei.

Aqua vitæ.

Ideò Raym. in testamento scribit, Aurum esse dissoluendum in rebus radicalibus sui generis. Ergo vegetatiuam intelligit esse de genere metallico, in qua suprà plantat aureitaté. Exponit Mathæus de Sicilia. Quum dicatur animal, vegetabile quid dicetur, & meritò. Nam in operatione vegetabitur de virtute in virtutem subtiliando, depurando se, & colores in se meliorando, quousque virtutem penetrandi capiat, & tingendi (vbi nota verbum penetrandi, quamuis etiam transformatio contineatur

Auri dissoluendi ratio.

ſub verbo tingendi) & poſtea: hunc lapidem vegetabilem nutritum in montibus errantes plurimi non cognoſcunt. Quòd ſi aquam vitę Raym. ad literam accipis: cur non potiùs accipies lunariam, cuius figura non minus crebrò vtitur? Sanè vegetatiua eſt neceſſaria in opere, vt creſcat & vegetet materia: ſed ineſt vegetatio metallis, de qua Augurellus.

Origo mũdi. *Pullulat interdum proprij uirtute uigoris*
Auri perpetuum germen: ——

Idem Calyd vocant cum origo mundi: quia oritur ſicut germinantia. Ineſt enim etiam metallis ſpiritus, ex mente Platonica quæ agitat hanc molem vniuerſi,

Metallis ſpiritus eſt.

Virg. Aen. 6 ex Platone. —— *Et magno ſe corpore miſcet:*

De qua nominatim Marſil. Ficinus lib. de Triplici vita: Spiritus in lapidibus & metallis latet mole materiæ oppreſſus: qui ſi ritè ſecernatur, &c. Ideò ſecundum Rogerium Bachonem excuſamur à vegetalibus, quum natura nobis præbeat argentum viuum. Hic videt in verbo argenti viui, vitam quæ vegetatio eſt, vnde quum dicatur aqua (ſcilicet ſicca) & viui nomen habeat, rectè poteſt accipere nomẽ aquæ vitę. Idem Bachon. Ex argento viuo & ſulphure fiunt metalla cũcta, & nihil eis adhæret, nec eis coniungitur, nec ea tranſmutat, niſi quod ex illis eſt. Eò alludit Albertus: lapides (inquit) & metalla ſua quadam morte moriũtur: ineſt ergò illis quędam vita. De lapide marmoreo Plinius: vidimus vlcera montiũ ſua ſponte compleri. De plumbo, mirum in his ſolis metal-

Nota. Metallorum omnium materia.

metallis quod derelicta fertilius reuiuiſcunt. Itaq; videtur vegetatiua eſſe neceſſaria in opere philoſophico, ſed non herbalis, quum inſit etiam manifeſtè animalibus, de quibus etiam non intelligunt philoſophi, quando dicunt lapidem erui à re animata. Sed eorum anima eſt tinctura, ſicut ſpiritus eſt metallicus, non plantalis. *Metallorum anima.*

De receptis tincturarum.

Iam tractandæ ſunt ex herbis, lapidibus, & metallis, præcipuæ Paracelſi confectiones, quas ponam vti ſunt iam aliquorum manibus contritæ, vt lectores tandem ab erroribus auocem Gerardi Dorn. & Haſſardi.

CONFECTIONES *PARACELSI*

De tinctura Solis, id eſt Auri.

EXtracta tinctura Solis, corpus eius remanet album, tinctura verò pura eſt, & ſeparatur abimpuro, id eſt à ſuo corpore: quę ſeparatio neceſſaria eſt, tinctura debet clarificari vel exaltari in ſuo gradu, qui duplatur quinquies in bis. xxiiii. altius nō progreditur: tunc poteſt adminiſtrari quibuſuis ad renouationem ſanguinis in priſtinum ſtatum, vt dicetur in adminiſtratione,

Extractio talis eſt.

Corpus corrumpendum eſt de natura ſua metallica malleationeq; per aquā ſalis, demū reſidentia debet ablui per aquam dulcē, poſtmodum extrahitur tinctura per ſpiritum vini,

postremò eleuatur à tinctura, tunc manet in fundo. Aqua salis fit ex sale quod mundissimū & albissimum ex sua natura sit, absq; decoctione, vel artificiali præparatione, qua sal fieri solet: liquefiat aliquot vicibus, deinceps pulueratum succo radicum raphani commisceatur, & agitetur in eo, tum destilletur post suam solutionem, & cùm sanguinea viridi partibus æqualibus mixta destillētur omnia quinquies, & in eo liquore lamina Solis per antimonium purgati soluitur in puluerem. Abluatur aqua pura, destilletur subtiliter donec salsedo recedat: nam sal ablui sese permittit, nec miscetur in profundo cum substantia, sed separatur.

Spiritus vini fit hoc pacto.

Optimi vini non mixti rubei vel albi mensuram vnam, in circulatorium vas optimè lutatum obstructumq; recondito, & in balneo mariæ ad profunditatem vini mersum vas per decem dies naturales bullire facito, demum infrigidatum destilletur in cucurbita vel phiala frigidè, tam diu donec spiritus ascēdit: cùm verò signum suum dederit, cessabis mox. Nam quod sequitur est aqua vitæ, non spiritus: hūc vini spiritum infunde super ipsam residentiā, quæ est velut alcool, vt sex digitis supernatet, optimeque lutatum vas ponatur in balneum calidum, in quo maneat per mensem: tunc in spiritum ascendet Solis tinctura, manebitque puluis albus in fundo vasis: quæ separanda sunt abinuicem: liquefac puluerem & fiet ex eo aqua metallica, spiritum euaporare permit

te

te, vt artis est, manebit succus in fundo tanquã liquor: quem graduabis quinquies in retorta satis magna, pro liquoris quantitate. Talis gra duatio fit solummodo per eleuationem, quæ materiã subtiliat, sed non permittit vltra quin tam essentiam subtiliari se: hoc est. 240. aliàs comburitur vlteriùs procedendo.

Vsus administrationis est.

Huius dragmam vnam cum vncia vna theriacæ venetæ mixtam dabis ieiuno stomacho, qualibet vice scrupulum vnum, postea coope riatur in lecto patiens & sudet: continuetur 10. vel 12. diebus.

EST ETIAM IN CORALLO *tinctura perquamexcellens ad purgandum sanguinem.*

CORpus eius teratur subtiliter in alcool, & extrahatur eius tinctura, sicut ex auro per spiritum vini, simulq; decies sexies ascendant, postmodum separentur per destil-lationem: ascensio fieri debet igne prorsus nu do, deinceps in balneo mariç separarari debet liquor sexies, & iterum super fæces reiici. Hoc oleũ administretur cum aqua theriacali, nempe scrupulum vnum olei cum eiusdem aquæ dragma vna.

Aqua theriacalis fit cum vncijs v. spiritus vini, theriacæ duabus vncijs cum dimidia, mirrhæ romanæ vncia vna dragmisque duabus, croci orientalis dragmis duabus, misceantur omnia

destillenturq; simul & semel: administrantur ea sicuti dictum est.

Dosis administrationis est.

Vt eius vncia vna. dragmæq; duæ, cum decem vncijs aquæ cicoreæ, vel gamandreæ misceantur, & eius mixti dentur dragmæ duę manè & serò: ieiunet postmodum æger quinque post sumptionem horis, & totidem post cænã: continuetur hoc sex, vel septem diebus: dentur etiam aquæ destillatæ ex fumo terræ vel cicorea similibusq;.

Tinctura balsami.

Recipe balsami vnciam semis, & spiritus vini vncias viginti: ponantur simul in pellicanũ vel duplex vas, & circulentur in Sole per mensem: quo facto permittit se destillari simul cũ spiritu per alembicum: quæ destillatio melior est quàm per retortam hoc loco, sic manet hęc mixtura simul in vna compositione, cui addes vnciam semis alterius balsami, clausumq; digeri permittatur, vt cum alijs permisceri queat, ac perficiatur quod exit ex suo corpore: nã quicquid graduari debet, suam substantiam in vnum corpus terminet oportet. Et cum hoc supra volatile factum fuerit, addatur iterum vncia semis alterius balsami, quod exaltabis vt prius vsque ad duas vncias, addendo graduandoque. Hæc est balsami præparatio potissima, quæ renouat curatque quicquid aliæ præparationes non possunt: conseruationis gratia sibi virtutem hanc cælitus acquisiuit supra cætera quæq;.

Admi-

Administratio est.

Vt ex isto per se præparato balsamo des ad pondus quinque granorum hordei, cum albo veteriq; vino bis in die, tandiu donec visum fuerit sanguinem emendatum esse.

Est quinta Solis essentia tinctura per vini spiritum extracta, cuius modum suprà posuimus. Aurũ uerò potabile est, cùm id vnà cum alijs spiritibus & liquoribus in potionem resoluitur. At oleũ auri est, cùm ex auri sola substantia per se fit oleum purum.

Auri potabilis descriptio.

Recipe auri foliati vel puluerati vnam vnciam, hoc in succũ resoluatur, addes aceti destillati quantum sufficit: destilla postmodum, & ab inuicem separato, tandiu hoc facito, donec adiunctorum nihil saporis maneat: deinceps in aquæ vitæ quinque vnciijs immergantur omnia simul, & in pellicano per mensem digerantur.

Eius aquæ vitæ descriptio talis est.

R. Vini ardentis lib.x.
Rosarum
Rosmarini
Anthos
Cheiri
Foliorum vtriusq; hellebori
Maioranæ, an. M.j.}

R. Cinamomi
Macis
Nucis muſcatæ
Gariophyllorum
Granorum paradiſi
Piperum omnium
Cubebarum, an. ℥. ij.
Succi chelidoniæ
Tapſi
Meliſſæ, an. ℥. vj.
cinerum fabarum, ℥. v.

Commiſce, permitteq; digeri perpellicanum xii. diebus: ſepara tandem & uſui reſeruabis quem ſupra ponimus.

Olei ſolis deſcriptio.

Poſtquàm, vt ſuprà dictum eſt, aurum in ſuccum per acetum reductum fuerit, bulliat per quindecim dies in ſequenti digeſtione, poſteà ſeparetur in balneo mariæ volatile, manebit in fundo fixum oleum auri purum.

Corpus digeſtionis hoc eſt.

Recipe ſucci chelidoniæ libram vnam, & aquæ vitæ circulatæ partem æqualem, vel paulò plus: reſoluantur in ſpiritum, quibus auri miſce tres vncias, deinceps fac vt ſuprà dictum eſt.

Tinctura ſalis Philoſophorum.

R Salis Auri
Salis Antimonij
Salis meliſſæ. an. ℥. s.
Salis communis puri petroſiq;. ℥. viii.

Miſce

Misce simul, & super frustum panis stratum edatur ieiuno stomacho. Nec mireris quod hîc ponamus sal auri, sal antimonij, quæ salia vulgaria nõ sunt, sed philosophica: postquàm scieueris ea quæ scire te conuenit in hac arte, non miraberis amplius.

Aliud sal philosophicum.

R. Salis Gamandreæ
Salis cicoreæ
Salis valerianæ, an. ℥.j.
Salis absinthij, ℥.s.
Salis vitrioli, ʒ.j.
Communis salis puri petrosiq;, lib.j.

Misce simul, & edatur vt superius.

RATIOCINATIO IN SVPRAscriptas Paracelsi confectiones à quibusdam perperam descriptas.

IAm curaueram has compositiones tincturarum oleorũ, &c. mihi è germanicis Theophrasti scriptis in nostram linguam conuertendas: quãdo Hassardi & Gerardi Dorn. libri emerserunt. Quibus ego maximas quidẽ gratias haberem, si non cõtenti nudis verbis, ea vel restituissent in integrum vbi manca erant vel mutila, aut vbi adeò erant obscura: quum Paracelso in arduis libuit tenebras offundere aliqua sua luce illustrassent.

Itaq; vt ab ea exordiar, quæ (si verè esset tradita) iure omnium foret præstantissima, nempe de AVRI TINCTVRA, VEL AR-

CANO quod initio huius compendij paucis perstrinximus.

De aqua salis.

Hassardus in aqua salis dixit, R. sal pulverisatum, quum postea dicat, puluerisa: præteritum enim est verbi germanici Geflossen, quod fusum vel alatum interpretátur, vt pauló post Fliessen infinitiuus ab Hassardo fluere vertitur vel fundi. Hoc autem silentio præterijt Gerardus. Mihi autem videretur R. sal fusile legendum errore interpretis germani, quod chymicis omnibus commendatur, & fortè de fossili intelligendum, quod quidam Antidotarij scriptor sal gemmæ esse existimat, quoque Paracelsus noster vtitur in oleo à Stibio eliciendo, vt capite suo lib. III. docebimus: nisi mavis sal commune fusile arte factum, sed hìc natura purum esse vult, artemq; reijcit nominatim, ideoque iubet sæpius liquari vel fundi, quod in cōmuni præparatione fit. Addit Hassardus radis, pro radix, id est Raphanus sanguineam herbam, bursam pastoris interpretatur, nescio quo autore. Sal verò intellige purum petrosum, solutum, colatum, congelatum.

Sal fusile.

De spiritu vini.

Miror hos, qui Theophrasti discipuli agnosic volunt, non animaduertisse corruptissimā esse hanc extractionem in qua circulatio prima est, quæ in magistris essentiarum quintarū Ioanne de Rupescissa & Raym. Lullio semper est postrema. Deinde non separari phlegma mortificans spiritum, nec feces in opere circulandi.

landi. Non declarari signum quando spiritus cessat ascendere. Scribi hanc destillationem spiritus fieri in frigido (nisi hic instrumentum serpentinæ intelligamus) quum omnis igne fieri soleat. Signum enim est duplex, scilicet in gustu & sapore aquæ stillantis, si insipidus fuerit. Et in signis alembici si aqua incipiat (vt loquuntur) venare, id est venas facere: nam conflagratio acrimoniam saporis consequitur. Tum autem quod sequitur esse aquam vitæ, non spiritum quæ oratio est? Nonne ab omnibus spiritus vini appellatur aqua vitæ? legendum ergo fuerat aqua vini vel vitis, quæ tum insipida est quàm aqua fontis.

Tandem elicitur tinctura auri in spiritu vini, terra alba residua in fundo vasis. Quis vnquã Philosophorum non dixit cum Gebro aurum esse homogeneum, ideò secundum Plinium, igne indomitum, illique contra salis & aceti succos omnium rerum domitores constantiam inesse. Ergo vnaquęque pars auri, aurum est: quamuis spiritum quendam eius extensiuum extraxisse de massa falsò Cornelius Agrippa glorietur, quem fore intensiuum addit Pantheus, si reducatur in corpus suũ, id est in oleum vitri. Non igitur pars erit crocea vel citrina in spiritũ ducta, pars restabit alba: à qua mirabilius etiam est aquam metallicam educi. Hæc itaq; existimo ex Paracelsi fontibus claris nunquã hausta fuisse, sed ab artis penetralibus subtilissimè inserta. Quod ex ipso Hassar. liquet clarissimè, qui de trib. ęnigmatis, secun

Cornel.

dum fecit: vnum post quinque (nihil N.) post quinque millenum colloca, id est VINVM, (quia N. litera non est numeralis) quasi verò distillationem vim lippis & tonsoribus notã conueniat integumentis ænigmaticis adumbrari. Ibi tamen distillat aquam ardentem, deinde circulat, vt hic ὕστερον πρότερον tacitè fateatur. In circulatione autem fixari spiritus censet non absque autore, nempe Augurello in Chrysopeia.

Ardentemq; uocant lympham, uitæq; liquorem,
Vitrea quàm raris effundit fistula guttis.
Præcipuè uerò modico lentescat ut igne, &c.
Ipse in se sua per uestigia confluit humor,
Donec paulatim niueam densetur in offam.

At in dissolutionem auri, vel alterius rei excorporationem, quo pacto vult hanc offam cõmisceri? Nam de hac auri absolutione idem poeta cecinit.

Quid quæ de ueteri guttatim stillat Iaccho
Deinde fimo incoquitur putri lentoq; calore,
Donec in ætherei splendoris uersa colorem
Accipit è summo cœlestum corpore nomen.
Hac quoq; dura ferunt certo mollescere ductu
Corpora, quæ phœbi, uel quæ dignata Dianæ
Nomine, &c.

Ex his ergo perspicere licet, fixari quidem posse hunc spiritum vini diuturna circulatione (in qua quondam inchoata vidi ego iam lapillos in fundo cristallinos concretos) sed cui vsui Gerardus offam hanc destinat? Ad dissolutio-

ſolutionem autem eſſentiarum Raymundus & Augurellus non tandiu detinent in calore, ſed quouſq;, vt ait ille, appareat quinta eſſentia coloris cœli, diſtincta à fecibus tanquam li nea diametrali. In alio tamen codice Germanico xl. dies leguntur noſtræ circulationis vini. & lib. III. de Vita longa bimeſtre ſpatiũ, ad circulandum, & ita educendum pinguedinem quandam in ſuperficie, quæ ſpiritus vini eſt, reliquum autem phlegma. Sic poſſet ſola circulatione ſpiritus elici præter vſum chymicę, niſi libro de Gradibus diſtingueret aquam vitæ ab aqua circulata: ſed hanc circulatam nun cupemus. Supereſt in fine huius extractionis, graduatio illius ſpiritus, quem vterque ſcribit non vltra eſſentiam quintam ſubtiliari, quum vltrà quintá vicem ſonet germanicus ſermo, hoc eſt (inquiunt) 2.4.0. vbi legendum eſt 24. qui gradus eſt vltimus auri perfectionis naturalis, id eſt 24 Karatti ex ſermone aurificum & monetariorum: aliàs (addunt) comburitur. Quis vnquam aurum comburi auſus eſt affirmare? Addam in adminiſtratione theriacam venetam à Gerardo præſcribi, quem dubito de therebinthina cogitaſſe: epitheto in theriaca ridiculo & acceſsione ad autorem in Epitome, ſuperflua. Ex his licet lectori de cæteris horum interpretum ſomnijs coniectare. Addam hîc tantùm de gradibus auri vel Karattis, ex quæſtione quadam de peſte incerti autoris, eruditiſsimi tamen, quiſquis ille fuit: aurũ demus natiuũ purum putum, eſſe vnius gra-

dus aureitatis integri, philoſophicum verò erit centum vel mille graduum integrorum. Quod forſan ſcite accommodaretur ad mille annos hominis, de quibus libro IIII. de Vita longa quum lapidem philoſophicum, hominem Rogerius Bacho nuncupauerit. Sic Roſ. minoris autor plantas roſeas producit vnius anni, biennij, triennij, &c. Ita vt nono anno roſas ferant mille, &c.

De ſale philoſophico.

Aurum in ſalem redigi non poteſt.

Recipe ſalis auri, &c.

Quum aurum, vt ſuprà dixi, ſit homogeneum & vacuum omni ſulphure inflammabili, non videtur calcinari poſſe per ignẽ, & conſequenter non redigi in ſalem: quamuis autor hortenſis Bernardus, & vrbis cuiuſdam in expugnatilis inuentor, ſe nouiſſe modum huius ſalis cõficiendi aſſeueret: quem fama eſt graue bellum aduerſus chymicos parare.

Sal Antimonij.

Sal quidem ad Antimonij criſtallinum ex puluere eius rubro confeci. Cætera genera saliũ mihi ſunt facillima, vt medicis quibuſdam huius ciuitatis doctiſsimis atque honeſtiſsimis experientia demonſtraui: tripliciq; ratione, hac prompta, alia ſubtiliore, tertia ſubtiliſsima. Audiui etiam ab inclyto heroe Maligneo Vidamio Carnutenſi, rei pariter bellicæ literarumq; reconditarum peritiſsimo, Adamum ab Bodenſtein Theophraſti diſcipulum medicum inſignem, his ſalibus, ægris optima remedia præſtare. At non ſecreta artis omnia (vt ait ille) lenocinio proſtituenda, niſi ſapientiæ filiis

lijs qui ex rationibus nostris haurire hîc possunt: fatetur tamen Geber, aurũ calcinari magno labore, nulla vtilitate. Hîc ego à Gerardo, Hassardo, Adamo, huius salis philosophici auriq; & Antimonij aliquam explicationem, nõ nudam tantum narrationem desidero: satis tamen inscitiæ arguuntur, quòd postea in solis essentia quinta, ad spiritum istum vini falso descriptum nos relegant Est auri calcinatio per aquam fortem regalem: est alia per hydrargiron, sed quæ non conducãt humano corpori

De auro poculento.

Recipe auri foliati vel puluerati: exponendum fuit, limati: post digestionem in Pellicano, remittit lectorem pro reliqua praxi ad librum suum de esse quinto. Sed resolui, intellige per acetum, vt infrà in olei descriptione. At quia incidit mentio de pellicano: describam Augur. versibus: *lib. de esse quinto.*

Fingitur oblongo uitreum uas ductile collo
Bina unre exiles uelut ansæ brachia pendent,
Concaua quæ uentrem uasis flectũtur ad Imum.
Hîc igitur liquor inclusus cum summa per ora
Fertur, continuo binas inclinat in aures, &c.

Figura depicta est à Philippo Vlstadio lib. qui inscribitur Cœlum Philosophorum.

De eius aquæ vitæ descriptione.

Errores ibi sunt, granorum paradis, pro paradisi, post piper, zinziber omissum: vbi cubebarum an. vncias duas, vniuscuiusq; 4. vncias, melissæ semilibram, vniuscuiusq; (vt ignoscamus libram illi esse vnciarum xij.) fabarum

vncias 5.reperio 10.In pellicano 12.dies, reperio in margine aſcriptum alias 8.quæ quidem poſſent conturbare lectorem.

De oleo auri.

Falſo ſcribit oleum auri fieri per ſe ex auri ſola ſubſtantia, vt conſtat ex corpore digeſtionis ſupra ſcripto: ſed quum propinatur ægro, ſumitur ſeparatum à reliquis: non omittemus item Balſamum eius ex auro tam ad grauiores morbos quàm apertas plagas.

Balſamum auri.

R. Solis foliati, ℈.iiij.
Alcohol vini de pino
De meliſſa, an. ℥.iij.

Pone in digeſtione vſq; ad quatuor ſeptimanas, butyrum deme, ſine illud digeri per ſuum menſem, atq; detrahe per balneum, tunc habebis balſamum.

Mercurius auri & plūbi.

Mercurius auri & plumbi valet plurimum ad paralyſim ex morbo venereo cum aqua vitæ & lauendulæ: quemadmodum mercurius lunæ corporalis ad catharrum.

De præparatione Antimonij ex Mathiolo, in Dioſcoridem. Et ex Paracelſo.

Eligito ſtibium optimum (vt Dioſcorides tradit) ſplendidiſsimum, quod more nitedularum emicat, confractu cruſtoſum, friabile, nihil terræ aut ſordium habens. Id primū in puluerem terito, deinde in fictile vas quod amplum ſit conijcito, tum demum carbonibus ſuccenſis ad calcinandum (vt chymiſtarū verbo vtar) ſub dio exponito, atq; interim coclea ri ferreo, ſpatula ita myropolis appellata continuè

tinuè moueto: hoc verò dum fit, fumus exhalat tenuis sulphur & auripigmẽtum redolens, qui si ore attrahatur crebras interdum excitat vomitiones: quapropter qui versant, ventis terga opponunt. Versare autem assiduè expedit, nam si paulisper cesses, vel comburitur stibium vel liquefit. Versato itaq; diligenter quo vsque in glebas concrescat, quas cum videris, sublato ab igne fictili, quod concreuit rursus in puluerem redigito, atque eidem fictili impositum carbonibus reddito assidueq; versato, idq; toties repetendum est, quoties coalescentes glebulæ postulauerint. Ita quoq; tandiu versare conuenit, quo ad corpuscula illa quæ emicant, splendorem suum amiserint, vapor omnis cessauerit, fœtor obsoleuerit, & stibium in calcem conuersum subalbicantis cineres colorem contraxerit. Perfecti autem operis signum erit, si prunis ardentibus inspergatur, nihilq; prorsus fumi emittat. Post hæc sumito huiusce calcis exempli gratia lib. s. chrys. factitiæ ℥, s. deinde crisocollam & stibium terito in tenuem puluerem separatim, mox omnia simul misceto, atque in fictili fusorio quo vtuntur aurifices igni vehementi admoueto: vas super laterem aut testaceum aliquod fictilis ollæ fundum prius collocatũ & fictili operculo contectum carbonibus accensis circundato. Veruntamen operæpretiũ est in hoc magnam adhibere diligentiam, ne res illæ comburantur: quare tenacula ferrea sublato cooperculo nonnunquam inspiciendum

est an colliquescat. Nam vbi colliquatum fuerit, illico vas ab igne eximito, desuper inuersa pelui ex aurichalco fabricata, qua tonsores vtuntur proiicito: quamprimum ibi concrescet in laminas quæ colore & nitore chrysopatios, quos hyacinthos appellant, atque etiam nonnunquam granatos referunt: vbi autem lapillos paruos & rotundos parare sit animus, guttatim oportet fusorio vase super eadem pelui fusum antimonium effundere. Cæterum chrysocollæ vicẽ fœliciori successu mihi præstat sal fossile chrystalli modo pellucidum, sufficiatque in tribus antimonij vncijs adderẽ drac.s. Verum omnes admonitos velim difficillime à quoquam parari posse Hyacinthinũ antimonium etiam peritissimo chymicę artis magistro, nisi prius ab altero parari diligenter inspexerit, quum non semper ijs etiam succedat pellucidum, qui sæpe ac sæpius illud parauerunt. Hæc Matthiolus in nouissima editione commentariorum suorum in Dioscorid. qua recinit palynodiam de Stibio crudo, quod inijciebat in calcinatum, de chrysocolla, cuius in locum sufficit sal fossile, quod alij sal gemmæ appellant. Sed qui hanc eius præparationem experiri voluerunt, quum triduum in hac re totum ante laborassent, nunquam fumo priuare potuere, priusquam ad colorem flauum luteumve transijsset, nec illud fumo priuatum fundere chrysocollæ ope & salis fossilis, nec tandem additione stibij etiam crudi. Quum autem stibio leuiter calcinato scilicet,
vsque

vſque ad colorem veluti cinerum tantum ſub albicantium (vt ille ſcripſit) adhuc tamen cæruleum fluenti ſupra carbones accenſos, tum ſal foſsile adhibuiſſent, non tamen rectè fundere, & in ſpeciem hyacinthinam proijcere à fuſione potuerunt. Nam autore Geb. à ſulphure proficiſcitur facilitas fuſionis, quod Mathiolus tam diuturno igne cogit totum in auras efflari. Ex vulgari præparatione Stibij conſtat hodie vbique terrarum varios morbos difficilesq́; curari, & vſum illius ab empiricis ad medicos & pharmacopolas migraſſe: ſed violenta & ſubita illius euacuatione tam per ſeceſſum quàm per vomitum ſecundum Hipocratis aphoriſmum naturam nimis conturbari. Ideo nihil ad noſtram hanc Paracelſi, quam nunc variè & copioſè tractamus, nihilq́; ad eá de qua nos ſuo capite libro III. de Vita longa: quæ purgat hominem radicitus abſque alui ſubductione manifeſta, & ſeparat ab eo velut ab auro realgar & chymum (non chyminum ut Gerardus loquitur) quem artifices fodinarum in venis leitam appellant: nec purgat intus & extra vt ille falſo adiecit contra autoris ſententiam. Iam huc conferam vndique varias ſtibij à Paracelſo præparationes ex compluribus eius libris medicis & chirurgicis qui hodie extant, ſed lingua tantum germanica. Scribit autem hæc in ſecunda parte libri Chirurgiæ magnæ cap. V. cuius titulus, de Quinta eſſentia Antimonij, & quomodo extrahenda eſt pro renouatione vel regeneratione homi-

In auro chimus vel realgar.

præparatio ex lib. de Impoſturis.

nis. Medico cognoscendam vim atque naturã rerum omnium, & discendam extractionem earum, Antimonij exemplo: à quo solo repertum est arte chymica aurum ritè purgari, & purum putum reddi, nulla sorde vel scoria aliena relicta. In qua purgatione argentum cæteraq; metalla si in auri massa continentur, deteruntur & consumuntur. Hæc expositio est primæ propositionis cap. de Antim. lib. IIII. sicut aurũ subsequitur. Homo est eiusdem cum auro complexionis, ideò potest ab Antimonio pariter purgari & extolli vtriusq; sanitas ad supremum gradum. Antimonium igneæ est naturæ, quæ absumit nonnulla, alia cõseruat. Ab eo elicitur medicina purgatrix absque euacuatione per secessum, cui alia nulla par est in officinis pharmacopolarum. Omnes enim humores noxios in corpore persequitur, & fugat, hominemq; sanum & sincerum relinquit. Multi nostra ætate illius præparationẽ tentauerunt, nemo tamen est adhuc ante me vsu & experimento consecutus.

Præparatio Chymica Paracelsi.

Antimonij. R. itaque Antimonium, elige quod optimum, & reduc in alcool, deinde reuerbera in vase clauso igne supero per triginta dies. Hic errauit. P. Hassardus, qui vas reuerberatorium dixit. Sic volatile redditur, & primò albescit, deinde flauescit, tandem in rubrum colorem fuscum pellucidum conuertitur cum subtililitate & leuitate.

Ergo sic reuerberati extrahe lilig per spiritum

tum vini:ita vt ſupernatet viginti digitis. Nulla melior eſt præparatio lilig.ad vſum corporis humani purgandi radicitus: at non intus & extra, vt iſte ſcripſit.

Adminiſtratio eius eſt, vt in dolium vini recentis in Septembri vel Octobri, id eſt muſti, ſemper ad viginti lot (menſuram ſimpliciter dixit Gerardus) tincturæ ponatur vncia ſemis, & ſimul digeri purificarique ambo permittantur. De vino bibant patientes ad tres vel quatuor ſeptimanas pro alijs hauſtibus, non ante alios hauſtus, ſecundum Gerardum Dorn.

Nota hic Alcool eſſe puluerem ſubtiliſsimum, vt per tenuiſsimum cribrum vel ſetaciũ tranſactum. Aliud eſt Alcohol de quo libro de Grad. De ſpagyricis verò doſibus, vt in Alcohol, balſamis, & id genus alijs magnalibus: & libro Chirurgiæ Alcohol vini de pino, cum aſpiratione differentia. Et quod hîc ſcribitur de ſpatio 30. dierum, arbitror eſſe legendum 3. id eſt trium non triginta, errore librariorum procliui in numerorum notis: quas ideò Baptiſta Albert. in lib. de Archit. iuſsit integris verbis deſcribi. Sic reperio in lib. teſtamenti Gebri calcinationes metallorum 30. diebus, quas in libro de inueſtigatione, & in ſumma perfectionis ſtatuit tribus diebus abſolui.

Alcool.

Alcohol.

Antimonij præparatio naturalis.

Alio libro chirurgico aliam tradit præparationem naturalem, quæ fit menſe Septembri. vt Arnaldus tradit, in vegete ſcilicet iiij. vncia-

rum in cado, quas intellige esse calcinatas. Alio lib. de Duplici medicina in lingua pariter germanica scribit, Oleum elici ab Antimonio cum sale gemmæ calcinato per distillationem retortæ igne cõtinuo fortissimi Athanor trium dierum totidemq; noctium, oleum (inquam) sanguinei ruboris, cuius libra vna reducitur ad vnciá semis vel vncias ii. mirabile remedium vulnerum quæ incurabilia existimantur, scilicet cõiunctorũ cũ vlceribus malignis.

Libellus Suauij de Anti. De Antimonio libellum scripsimus nuper quidem nos aduersus duos medicos de eo perperam inter se disceptantes: vbi de eius facultatibus cumulatè disseruimus: restat hic inserere opinionem eiusdem Theophrasti de Stibio ex libro de Grad. Nam inter ea quæ ex aqua proueniunt, & tertium gradum frigiditatis tenent, Antimonium statuit ideò suprà inter metalla quæ aquea sunt. At in Gradibus spagyrorum in tertio essentiam Antimonii, quemadmodum aurum poculentum & gemmarsi liquore collocauit.

Item in dialogo qui inscribitur Chrysorrhoas sub Paracelsi persona dicitur: illinc deprehensæ metallicorum cum metallis amicitiæ atque odium (quod Sympathiam græcè dicimus) vt Antimonii, hydragyri, &c. Et paulò post. Fateor me quidem ex metallorum tum metallicorũ energia atq; efficacia multa ipsius physices auxilio deprehendisse. Vbi sub metallicis (vt suprà) præcipuè Antimoniũ intelligit, quod hic inter ea tradit principatũ obtinere.

Superest

Supereſt ſolummodo vocabulum nouum Lilig.ex lib. Chirurgiæ Theophraſti germanico exponendum, quod nulla in lingua vſurpatum reperio, tametſi commentarios diuerſarum linguarum atque homines earum peritos conſuluerim. Opinor ab eo ſuo more confictum, vel potius illech legendũ, quo frequenter vſus eſt multis in libris de Tartaro, de Gradibus, &c. quod potuit eſſe deductum ab hyle, quæ primam materiam Græcis ſignificat, niſi legamus ſtibi pro lilli, quod legit Gerardus Dorn. qui perperam ſubiicit croceũ poſt flauum, in calcinatione. Senſus enim Paracelſi manifeſtus eſt, quintam eſſentiam Antimonii hoc pacto per ſpiritum vini eliciendam eſſe: quòd P. Haſſardus ſubdoratus eſt. Finem tandem faciam Stibio vbi addidero ex ipſo Paracelſo. *Lilig.*

Stibium per aquam vitrioli redigi poſſe in quendam pultem, tolle ergò ab eo Salmiax, decola, tunc inuenies craſſum quendam liquorem perutilem vlceribus.

Flores Antimonii expellunt venenum realgaris.

In Antimonio quoque eſt Balſamus, cuius abſtractio fit per Salmiax reſoluendo, & aqua pluuia: pòſt dulcores, deinde exicces, rurſuſque ſinas ſolui ſupra marmor. *Balſamus Antimonij.*

Fit etiam rubrum ſyncerum ad cancros & fiſtulas.

Mathiolus extrahit oleum medicatum ex ſtibio, Vannuchius Pyrothecnię ſcriptor oleum

Regulus Antim. commemorat chymicum tingens. Porta Neapolitanus deſcribit regulum Antimonij, vt tenuiſsimè manualibus molis ſubigatur, inde noua olla carbonibus accenſis condita rubeſcat tota, cui ſtibium tartari duplum, ſalnitri quadruplum optimè tuſa paulatim inijcies, cumq; tollitur fumus operculo claude ne euolet, tollito demum & aliud proijcito dum totus comburatur puluis: in igne poſtea aliquantiſper proroget moras, extracta refrigerari ſinito, & ſuperextantes tollito feces, & in fundo inſidens argentum viuum reperies, quod *Contra Portam.* chymiſtæ vocant Regulum. Contrà quem autorem veneficiorum magiſtrum ex hominum memoria delendum, hoc habe, id non eſſe argentum viuum, ſed ſtibij materiam defecatã. At experientiam contentam eſſe partibus æquis duorum reducentium, dici autem Regulum & regem ob principatum quem illi inter mineralia Paracelſus tribuit.

De Hydrargiro quod argentum viuum dicitur Latinis, & Mercurius Chymicis.

De argento viuo triplici. De eo Paracelſus caput confecit proprium libro tertio de Vita longa, vbi ipſe pauca intellectuq; facillima de eius fixione, deinde coniunctione cum auro. Nos poſtquam præfati fuerimus, eleganter dici à Plinio vomicam liquoris æterni, tresq; eius non ſpecies, ſed formas in fodinis reperiri, vnam pendentis ſtiriarum more, aliam è minio educti vt ignis inter

duos

duos calices, tertiam ſponte in viſceribus terræ decurrentis & iam ſui. Quamuis quartam addat Marcellus in Dioſco. neſcio tamen quo autore, ex fragmentis marmoris extracti. De eius qualitatibus omittam ridiculam medicorum noſtri temporis diſceptationem, horum frigidum, humidum, aliorum calidum, ſiccum contendentium. Nam certum eſt alijs qualitatibus conſtare quum fuerit in ſua natura, alias ſortiri ſi ab arte immutetur, vt in ſublimatum vel præcipitatum: de quibus aliquando erit copioſius diſſerendi locus. Hoc interim dicã falſo Xantem Ardoynum venenum indicaſſe autoritate Galeni, quem conſtat lib. de ſimpl. fateri ignorare ſe, an ſumptum intrinſecus venenum ſit, vel extrinſecus admotum, ſeq; periculum non feciſſe. De quo extat facetum Auſonij epigramma, Zelotipæ mulieris poſt toxicum viro exhibentis ad mortem accelerandam, cui fuit antidotum. Sed ad tres argenti viui præparationes Paracelſi noſtri accedamus.

Xantes Ardoinus Galenus.

Mercurius habet tres corporis formas, primam antequam natus ſit, & iam ſuus: ſecundã quando eſt in ſpecie liquoris, vel aquæ viuæ, quam Spagyri ſiccam nominant: tertiam quũ arte præparatur & redditur ſimile pulueri niueo vel calci metallorum peruſtæ. Itaq; ex eo tria eliciuntur remedia, vnum ad vnguenta morbi Neapolitani, aliud ad lauacra, poſtremum ad ſuffimigia.

Præparationes argenti viui.

Vnguentum mercuriale.

R. Ertz vnde mercurius naſcitur, id eſt vt

reperitur quoquo modo cœptus coagulari licet, non induratus omnino vel conuersus in corpus. Tere eius xx. lib. Bulliat per horam in aqua pluuia, inde proiice sordes eius & reserua glaream, quam distilla in vase vitreo igne vehemēti. Tum effluet liquor quidam vel succus candidus & clarus, retine: post distilla humorem eius per balneum mariæ, restabit in fundo quædam vnctuositas prope ponderis eiusdem cum mercurio: de hoc metallo adhuc immaturo accipe grana ii. & olei spicæ nardi grana vi. Ex his fiat vnctio vt moris est ex argēto: addo, viuo, deerat lib. germanico: Quik post silber.

Vnguentum corporeum mercuriale.

R. mercuriū corporalem, amalgama cum stanno an. effluat in aquā, R. aquam illam cum sulphuris æquo pōdere, destilla, exibit oleum in lactis specie graue & absq; acrimonia: quo vteris vt superiore.

Lauacrum mercuriale.

Lauacrū argenti viui.

R. Mercurium sublimatum per se absque vlla additione, illum sine sublimare à sale fusili aliquoties, inde distilla vinum ardens, idque tandiu, donec Mercurius nihil amplius rodat mordicetve, omni suo acumine amisso. Illum mercurium sinas elixari in aqua persionis vel chelidoniæ per semihoræ circulum. separa inde aquam ne mercurius vnà cum suo corpore adhibeatur, sed spiritus eius solum exeat morboq; accommodetur.

Suf-

Suffumigium.

Scias virtutem mercurii non inesse corpori eius, sed spiritui, qui exit ab eo velut ex fornace calor. Itaque multis modis præparetur & administretur. *Suffumigiũ argenti viui.*

R. mercurium, mortifica cum sulphure sicut fit cinnabaris factitia. Tum sublima ab eo cum æquo salis nitri pondere. Pone in instrumẽto cuius pars inferior fundi sit perampla, pars verò superior orificii sit admodum angusta, vas autem sit altitudinis palmorum duorum. Sic constitue in igne vt fumus leuissimus tantùm ascendat, in emunctoria recipiendus, non autem ipsa corporis subſtãtia. Ertz autem quandoque significat Germanis in ignem metallũ, quandoq; æs ductile & regulare. Mihi in prima mercurii præparatione significare videtur terram mineralem rudem, vocabulo Hebraicæ linguæ proximo cui Eres, terra est.

Iam restant essentiæ mercuriales in singulare remedium venerei morbi: quarũm nomina sequuntur.

Sulphur vitriolatum, est sulphur quod fit ex vitriolo feruefacto in dosi simili helleboro nigro.

Vitriolum liquefactum est vitriolum ab ære extractum quod non coagulatur. Mercurialis seua est aqua facta de alumine in quo Mercurius natus est: lego de ertz vt suprà.

Laxà chimolea est puluis extractus ex salibus mineralium salsugineorum.

Mercurius mineralium est certa vnctuositas

educta ex metallis auri & argenti.
Mercurius metallorum præcipitatus est reductio metallorum in suam materiam primam, postea ipsa in se deiecta & velut humo afflicta. Scias autem argentum viuum in omni sui præparatione eousque deducẽdum, quoad sit tanquam vita fessum & omni acrimonia priuatũ. Reducitur autem in oleum à spiritibus salis nitri, & quod valdè mirum est, annulus ex eo cõgelato & metallificato confectus digito adhibitus sanat chiragram: sicut in lib. Magiæ Picatricis conflatur ex eo thurribulum mysticum, cuius ratio paucis est perspecta non magis, quàm phœnicis (qui ab eo nascitur) animalis secundum Bacc. singularis: quod 600. an. arabum præparatur, & ad mysticam theologiam pertinet secũdum Alb. vt in eo sudorem Plutarch. abstergamus, & Plinij incredulitatem tueamur.

FINIS.

ΠΕΤΡΟΥ ΜΟΡΕΛΛΟΥ ΤΟΥΡΟ-
νέως ἐπίγραμμα, περὶ Θεοφράστου Παρακέλσου
καὶ Λέοντος Σουαβίου.

Ι. Γ. Π.

Ἑλλὰς ἐσαθρήσασα Θεοφράστου Παρακέλσου
Εἰκόνα, τῆς φύσεως φράζεό μοι πρόπολον,
Καὶ παλαιῶν δὲ χρόνων μυστὰς κορύφωσεν Ἀθλώης,
Εὑρήσεις τ' ἀναμὶξ εἰν ἑνὶ πάντας ἔμεν.
Τοὔνεκεν, Ἑλλὰς, ἔχε στόμα φιμόν. Ὑπερβόρεός σοι
Ἀντ' Ἀναχάρσιδος ὢν αὖτι πελαυγεῖ ὅδε.
Τοῦδε μάθοις βιβλίοις γαίης κευθμῶνας ὀρύττειν,
Κἀψίδος οὐρανίης εἰσαναβλῆναι ὄρη.
Τοῦ γὰρ μάθοις βιβλίοις φύσεως ζωαρκέα δῶρα,
Ὄφρ' ἐναρίθμιος ἦς Μακραβίων ξυνόδῳ.
Τοῦδε κ' ἐφημοσύνῃ, πινυτῷ τ' ἀποφθέγματι πειθεὶς,
Ἣν σὸς ἔμεν δύνηαι, μὴ ἔσο ἀλλότριος.
Εἰ δ' ἀγνοεῖς Λαβυρίνθου ἑλίγματα, τῆς δ' ἀπερύξει
Πλαγκτοσύνης Θησεὺς Σουάβιός σε Λέων.
Ὃς σελίδας γὰρ μακρὰς βραχείᾳ σύστειλε ξυνόψει,
Καὶ χρησμοῖς δυνατὸς Λοξίου ἐκφανερῶν.

GILLII PINAVTII E GRÆCO LATINVM EPIGRAMMA.

Græcia naturæ contemplare ministrum,
Quum Paracelsæam conspicis effigiem.
Prisca ætate tuam quotquot coluere Mineruā
Græcis: Germanus continet vnus homo,
Alter Hyperborea hic Anacharsis prodijt ora:
Ingenio Argiuas qui tibi pensat opes.
Illius è scriptis scrutari viscera terræ,
Excelsiq́; potes scandere templa Poli.
Sicq́; maritare huic terræ cælestia dona,
Vt poßis longos enumerare dies.
Explicat anfractus Labyrinthi, vt Theseus alter:
Eloquio suauis, corde animoq́; Leo.
Hic reipsa dicto Theophrasti præbuit aurem:
Alterius ne sis, qui tuus esse potes.
Suauius eius opus longum contraxit in arctū,
Phœbi oracla potens hic reserare Leo.

VALENTINVS DE RETIIS *DE OPERIBVS PARACELSI ad Lectorem.*

THEOPHRASTVS Paracelsus ex nobili prosapia Suedigena, apud Eremitas Heluetiæ natus, ab Atheniensibus Paracelsus magnus vocatus, 230. in Philosophia conscripsit libros, 40. in medica scientia edidit, 12. de repub. 7. in mathematicis, & tria opera simul in vnum composuit librum, qui Theophrastia nuncupatur. *66.* autem libros de occultis & abstrusis condidit. Primum opus de Archidoxis dictũ, in quo declarat extractiones & separationes virtutum ab inualido, Secũdum Parasarchum dictum, in quo de summo bono tractat in æternitate, tertiũ Carboantes dictum, in quo transmutationes declarat in forma & esse. Scripsit Gellius Zemeus de hoc Theophrasto Germano Philosopho ad Passephallum Ceueum. Apud Germanos nũc vir adolescens existit, cui parem orbis nõ fert, qui adeò excellenter in Philosophia, Medicina & Mathematicis, atq; de Repub. & iustitia scripsit, quod credo aut mira influẽtia in eo sit natalis, aut maior Spiritussancti gratia, aut immensa dæmonum existentia. Nam inhumanum hoc est perscrutari, quod ipse vilipendit: saltem doctiorem me legisse memor non sum. Quare tu, Lector, syncero animo Theophrasti scripta excipe, nec noua hæc antiquis meritò præferre vereare.

Vale.

PH. THEOPHRASTI PAracelsi Bombast operum, quæ ad nostram notitiam peruenerunt.

CATALOGVS.

Libri quatuor de Vita longa.
Liber de Sanitate & ægritudine.
Liber de duplici Anatomia.
Libri septem de Gradibus & Compositionibus, &c.
Liber de Magia.
Libri tres de Morbo gallico germanici obscurè scripti.
Liber de podagra.
Libri Germanici de duplici medicina.
Liber Chirurgiæ maioris.
Liber Chirurgiæ minoris.
Libri Germanici de Imposturis chirurgorum.
Labyrinthus medicorum errantium.
Liber de Tartaro, duplici editione ab autore recognitus, cum defensionibus septem.
Archidoxa Parrhisia, aliâs paragrapha.
Liber de Humana generatione.
Prognosticon xxiiij. annorum.
Libellus de Cometa viso in Heluetia anno 1531.
Liber de peste.
Charta edita Basileæ. anno 1527.
De noua Methodo medendi.
Liber de Aqua realgaris & mercurij.

Theo-

Theologica opera nondum publicata.
Ad abbatem D. Galli: inter quæ.
Diarium ſupra reuelationem D. Ioannis.
Opus Paramyrum.
Herbarius.
Tractatus philoſophiæ ad Athenienſes.
Libri duo de Cauſa & Origine morborum.
Item de Morbis inuiſibilibus.
Plures tractatus de morbo Caduco.
de Cholica, de Rabie, de Hydropiſi, &c.
Libri de Thermis.
Liber de Modo pharmacandi.

SVMMATIM.

In philoſophia libri 230.
In Medicina libri 46.
De Republica libri 12.
In Mathematicis libri 7.
Theophraſtia, volumen continens opera tria diuiſa in 66. libros, de rebus abſtruſis.
Opus I. Archidoxa.
Opus II. Paraſarchus.
Opus III. Carboantes

LEO SVAVIVS IN CATALOGVM operum Paracelsi.

NE sit ſupra fidem tot eſſe libros à Paracelſo conſcriptos, vir doctiſsimus (ſecundum Terentianum) vndecunque Varro, vt à ſuis Romanis extra inuidiæ aleam eruditiſsimus togatorum appellatus, ſcripſit (teſte D. Auguſtino de Ciuitate Dei) quadringentos nonaginta libros neglecto cultu verborum: quos Cicero in Academicis paucis perſtrinxit. C. Plinius Secundus, teſte Plinio nepote ſcripſit de iaculatione equeſtri lib. I. de vita Pomponij Secundi lib. II. Bellorum Germaniæ XX. Studioſos III. in VI. volumina ob amplitudinem diuiſos. Dubij ſermonis VIII. hiſtoriarum à fine Aufidij Baſsi libri XXXI. Naturę hiſtoriarum libri XXXVII. opus diffuſum, multiplex, & tam variũ quàm ipſa natura.

I. G. P.

NATVRA DVCE
COMITE INDVSTRIA

ELENCHVS CAPITVM LIBRORVM QVATVOR TH. Paracelsi de Vita longa.

LIBRI PRIMI.

LIBRI SECVNDI.

LIBRI TERTII.

LIBRI QVARTI.

FINIS.

PH.

PH. THEOPHRASTI PARACELSI AB HOHENhein, vtriusque Medicinæ & Philosophiæ Doctoris de VITA LONGA Libri IIII.

ARGVMENTVM IN Cap. I. Lib. I. de Vita longa.

Innuere uidetur uitam esse in coniunctione mortalis corporis cum immortali corpore, & mortem proficisci à disiunctione eorum.

Cap. I.



NTEQVAM coram vobis discipulis meis vigilantissimis, incipiam philosophari de Vita longa, è re vestra fore arbitror, si prius & penitus quid sit vita, describam: maximè verò immortalis, quam sanè scribendo alij complures prorsus missam & intactã hactenus reliquerunt, puto ex ignorantia planè, aut vt satis ipsis perspecta non fuerit: hinc factum, vt alteri solummodo, mortali scilicet, magna disputatione consultum hoc vsque in tempus voluerint.

Vita immortalis.

Vita mortalis.

Nunc autem vt clarius hæ ambæ dignoſcantur, certè ab initio de phyſico corpore dicendum eſſe reor, cuius corporis generalis praxis ſit ad hunc modum.

Praxis generalis corporis physici.

Principio conſiderantur partes eius tot & tam variæ, medullæ, oſſa, cartilagines, ligamina, nerui, carnes, membra, denicꝫ quicquid eſt principalium membrorum, cor videlicet, hepar, cerebrum, veſica, ſplen, &c. præterea, quicquid eſt exteriorum membrorum, vt ſunt muſculi, lacerti & id genus alia, quæ Phyſicam vitam complectuntur. Sed ad ea priuſquam perueniamus, quid ſit mors, quidve ægritudo, paucis indicabimus.

Mors quid ſit.

Eſt mors diſſolutio vitæ cùm mortalis tum quocꝫ immortalis, quam dies natalis coniungit ac copulat: Nam omnis coniunctio rerum mortalium, maximè diuerſarum, ſecum adfert diſſolutionē. Quemadmodum omnem coniunctionem rerum naturalium & earum quæ præter naturā ſunt, ſequitur diſſolutio: ſic vitæ, quæ coniuncta eſt, comes eſt diſſolutio: Hinc eſt huius mali fons & origo, generatio morbi, quam cōtinuò inſe-

insequitur mors. Ex quibus facilè colligere licebit, quid vita sit tum mortalis, tum quoque immortalis, & qua ratione vtraque conseruari debeat. Quamuis etiam ea inferius, vbi de Phisico corpore agemus, satis fusè declaraturi sumus.

ARGVMENTVM in II. Cap.

Innuit medicos laborare vanè in medicinis rerum crassarũ & feculentarum: æthereas autem esse querendas. Triplex corpus, physicum & cœlicum, & aliud extrinsecus: adiunctum scilicet fermentũ. Quo Raymund. dicit confortari prius lapsum à temperamento. Est enim corpus secundum, quod non debet violenter dissolui, sicut primum. Corpus autem caducum est creatura, corpus cœleste est vita.

Cap. II.

PRincipiò oportet, vt probè cognitam habeamus vniuersam rationem atque naturam cùm Physici corporis tum Physicæ vitæ: quamuis, neque corpus, neque vita corporis hoc loci considerari per se debent: cum nihil possit elici ex mortali, quod vitam longam pariat, & extra corpus sit vita lõga, & à corpore cõseruetur, preterea,

interueniente corpore exoriatur dissolutio vtriusque vitæ. Nam vbicunque immortalitas non est coniuncta mortalitati, illic dissolutio penitus esse nequit. Hac de re plurimum sudauit hippocratica Musa, qua scilicet ratione corpus tanquam balsamo conseruaret, ne mortis causa exhiberet sese, immemor in vita mortem non esse. Nihil enim aliud mors est, nisi quædam dissolutio, quæ vbi accidit, tum demum moritur corpus: hucq; omnia sua excerpta retulit Hippocrates, corpusculumq; illud præ manibus sumere, & obnoxium morti, mortali remedio conseruare decreuit: cum in eo nulla vnquam fuerit vita, quę ex fonte vitæ manarit: Siquidem corpus est creatura, at non vita. Non prorsus referenda est, inquies, Hippocratica musa ad mortalitatem. Esto, at multò faciliorem viam ad sanitatem inuenies: Nihil etenim præter ea, quę creaturæ sunt, Nippocrati tribuit Deus. Sed redeamus ad propositum. Huic corpori Deus adiunxit aliud quoddã, puta cæleste, id quod in corpore vita existit. Hoc opus hic labor est, ne in dissolu-

aliâs recepta.

ſolutionem, quæ mortalium eſt, & huic ſoli adiuncta, erumpat: Etſi in corpore iſto caduco accidere poteſt diſſolutio, atq; adeò colligi ex ea amiſsio Cœlici corporis, tamē nequit obeſſe vitæ longæ, propter reſtaurationem, quæ ſubinde fieri debet, vt prorſus omni defectu careat corpus: Sicut enim ignis tantiſper, quoad ligna adſunt, viuit, ita vita longa, dum adeſt corpus: Quod corpus, vt oportet conſeruandum eſt, interueniente corpore eo, quo extrinſecus conualeſcit. Inde enim conſeruari poteſt: cum nihil aliud ſit corpus, prąterquam ſubiectum in quo vita gliſcit longa.

ARGVMENTVM in Cap. III.

Corpus cœleſte anima eſt, ſpiritus vitæ eſt quem Plato ſtatuit minus incorporeum & minus incorruptibilem quàm animam, plus verò quàm corpus caducum, id eſt mediæ inter vtrunque naturæ. A caduco ægritudines tollendæ, vt ſpiritus vitæ maneat.

Cap. III.

HActenus de phiſico corpore, nūc qua ratione materiam huius ab omni corruptione conſeruari opor

teat, dicendum. Principiò, quicquid in ſeipſo corpus corrumpit, idem alieno corpore eſt recuperandum, ita, vt monarchia Spagyrorum nõ admittat peruulgatam balſami naturam, qua corpus conſeruare laborant. Sicut enim fieri nequit, vt lignum non abſumatur igni, ita fieri non poteſt, quin corpus aliquando corrumpatur vita. Quare minus admittendi ſunt eſſentialium rerũ periti, qui longam vitam balſamo comparari autumant: cum potius hæc ſit natura balſami, vt corpus à corruptione eiuſdem cõſeruet, ne in corpore vacuũ inſit. Nam omne vacuum eſt eius loci morbus ſiue ægritudo in corpore, & quaſi atrophia quædam vitæ longæ: in perfecto enim corpore locum habet vita longa: in imperfecto, in continuum defectum ad mortem vſq; diſſoluitur, ſicut in [a] perſico igne, membrum perit non citra diſpendium vitæ. In mola & hernia celatur vita longa tantiſper donec deſinat idem humor: ſimiliter in carbunculo & ſaphiro plus ſatis gliſcit. Itaque obſeruãdum eſt, vt corruptionem à corpore auferamus, & quod in vita longa

a Perſicus ignis dicitur contra naturam: apparet vita longa in deſiccatione, ante cælata in humore: diſpendium eſt vitæ quãdo labitur à temperamento ſcilicet per ignem perſicum qui eſt in imperfecto corpore.

longa exarsit, in refrigerium denuo redigamus: Quare hoc [a] loco specifica naturæ consideremus, & quæ in hoc sunt adornata, vt corpus vndecunque morbi confectum [b] muniant necesse est, id quod medicorum esse debet. In Vita autē longa nihil eiusmodi requiritur: Leonina enim ad vitā longam ex æquo cum eo, qui à morbis alienus est, potest reduci: similiter Lithiasis & Tympanites. Sed hæc de longa Vita. Nunc ad breuem vitā: Quicquid in Hypposarcha sustinet corpus interueniēte [c] præcipiolo administrandū, Rustenna ęnea in Epilepsia: Perla grādis in gutta: Sardiniana, in matrice & in id genus aliis: Thesiana, in Thyria: Thutia, in Ophthalmia: perstitella, in Erysipela externa: Hypericō, in aliis offensionibus. Hæc atque alia, quāuis probè cōfecta & absoluta, nihil tamen prorsus ad longā vitā faciunt, imò verò ea causa solùm adhibētur, vt corpus cōualeat: parui enim refert (quantū ad longam attinet vitā) cōsulatur febribus Ephimerę necne, Causoni, Phthisi, Ethicæ, & aliis eiusdem generis: Verùm, in quantū [d] spiritus naturæ manet, corpus

a Corpus imperfectū specificis rebus purgatur quod dicitur medicinæ primi ordinis, quibus perfectū non indiget.
b al's. Mummiant.
c al's. principiolo.
d Spiritus vitæ est vis corporis cœlestis seruatrix. quod non tā cito moritur vnde vita lōga perhibetur.

cœleste seruat, manetq; Vita longa vnà cum cruciatu morborum: Hic non præsto est mors. Quatenus namq; corpus in tutelam medicò committitur, mors est, at non cœleste corpus. Ex corpore autem diffluit venenum in vitam, quâ adeò accendit, vt prorsus in Aeschparam erumpat: Quocirca duplex praxis aggrediunda est: Hæc vt vitam conserues, Alia, vt reprimas corpus ac places, & idipsum indies propter corruptionem, quæ quotidie accidit.

ARGVMENTVM

in Cap. IIII.

Vita phisica est ab anima vegetali, vita cœlestis ab animali.

Cap. IIII.

CVm pro natura creationis corpus & eius physica vita tanquam vna pars in compositionẽ formæ transit, inseritur iuxta prædestinationem, cum corpus, tum vita cœlestis physico corpori, quæ velut indiuiduus comes sequitur hanc coniunctionem. Porrò redacta coniunctione harum duarum formarum, naturalis & eius quæ præter naturam est, in formam naturæ, idq; omninò

mnino in cella matricis, elicitur, genitores duos, filium vnum, genitrices etiam duas, filiam [a], has quatuor personas gignere. Quia hoc loco verè operatur corporale semen, id quod in præseruationem [b] ductus naturalis conseruari oportet. Ea autem, quæ præter naturam est, forma imprimis considerari debet, ita vt per illa etiam, quæ præter naturam sunt, seruetur. Sic duplicium bonorum hæres inscribitur puer, naturæ & essentiæ, quæ â natura existit iuxta præscriptum creationis, quæ simul oboritur, idq; ab eo, qui præter naturam est, parente, qui corpus regit ac gubernat. Nã Adamus neq; ex creatione est aliquid adsequutus, neq; ascendentibus signis, neq; alijs rebus obnoxius factus, sed ex eo, quod prærer naturam est, vitam longam accepit. Verum, vt habeat Medicus, quod vsurpet, neq; passim sequatur imperitorum nugamenta, qui frigidissime de hac re scripserunt, certè imprimis est admonendus, vt plus ad ea, quæ præter naturam sunt, quâm ad ea, quæ secundum naturam fiunt, animum adiungat. Deinde, vt prædestinatio-

a al's vnam.

b al's uitæ.

Noster infans habet 2 patres & 2. matres.

Raymun. vn de Aug. hoc matris patris illud enim vim continet.

nem pulchre calleat: hac enim tanquã ex fonte potius ſcaturit ea Monarchia quæ præter naturam eſt, quàm ſpecificum & qualificatũ. Atqui hinc eſt peruulgatus ille error, quo non pauci inducti ſic ſtatuunt conſulere corpori, vt multo plura corpori, quàm quæ corporis ſunt, tribuãt. Verumenimvero, quo hæc abundè dicta clareſcant, hanc cape ſimilitudinem: Videmus in eo quẽ ſomnus oppreſsit, vitam naturæ duntaxat ineſſe, fœtumq́ꝫ ſpirituum cum eo colludere vna. Vbicunque igitur præſens vita exiſtit, non plene atque adeò citra vim exiſtit, ea, quãuis mortua ſit, quòd non operetur, tamen corpori inſita eſt. Item in eo, qui iugulum gladio præbet, ictus vitam longam auffert, ſed quicquid vlterius in corpore ſubſultat adhuc viuum, ingenita vita naturæ eſt. Et hęc prorſus non eſt obſeruanda, ſed ea, qua corpus reuiuiſcit. Ergo vita longa nobis homini us ineſt, veluti ignis ligno inſitus, qua redintegraſcit homo.

Vita naturæ

AR-

ARGVMENTVM in Cap. V.

De duplici semine & duplici matrimonio, diuino & humano.

Cap. V.

SEd vt adhuc magis dilucidè appareant ea, quæ de parente diximus, qui præter naturam est, & naturali iuxta præfinitũ infinitus: quæ causa est duplicis vitæ & corporis, naturalis, & eius qui præter naturam est parentis, ex quibus facilè liquet, hominem duplici semine nasci. de his hominibus sic breuiter habeto. Iam inde ab Adamo immutata est complexio vnà cum natura generationum in carne, propter importunas & intẽpestiuas operationes personarum in earum natura contraria: palàm enim est, neq; melancholiam nobis ab initio ingenitam, neq; sanguineum humorem, neq; cholericum, neq; phlegmaticum primò fuisse. Nam ex melancholia & cholera, similiter ex alijs nulla vnquam orta est plena complexio: quia semine contrario semel confuso, perijt vnà natiua complexio, adeò, vt nemo cholericus plenè ac perfectè dici possit. Quòd si sola & in suo

Semen duplex.

gradu permansisset, certè successione temporis etiam apud nos denuò præcelleret cholera. Præterea sicut interueniente partu intempestiuo singulæ cõplexiones corrumpuntur, & idipsum non sine iactura liberorum, sic etiam in eo, quod præter naturam est, corpore, semen quoddam hæreditarium existit. Et si duo eiusdem complexionis homines copulantur, tamen supernatale semen, sub quo cùm sapientia tum vita delitescit, nunquam verè coniungitur.

Matrimoniũ duplex.

Duplex igitur est matrimonium, aliud, quod humana ratio persuasit, aliud, qđ Deus coniunxit. Sanè illud propriè matrimonium non est, nisi quatenus oculi & captus naturæ sinunt: In illo, quamuis vndecunque despiciat homo, quod sibi & pueris prætexat, spiritum Dei, qui eos copularit, requirat, honestum prætendat, nihil tamen nisi hypocrisis est: Argumento est, subinde noua mutatio locorum. Hoc autem quod Deus coniunxit propriè matrimonium existit, & ad vitam longam refertur propter diuortium quod hoc loco accidere nequit, id quod nemo nisi interuenien-

niētib. liberis intelligit. Propterea multi vel in vtero matris sunt sanctificati, & hi sunt, quos Deus copulauit, vt Bersabeam & Dauid, quamuis ex diametro, (sic enim sibi humana ratio persuadebat) cum iusto & legitimo matrimonio pugnaret hoc: Quia tamen vterque præter id, quod naturæ erat, quasi hæreditariò vitam longã adeptus est, propter Salomonem, qui aliunde nasci non potuit nisi ex Bersabea, coniunxit Dominus Tetragrammaton. Adeo quicquid est præter naturam, velut naturę thesaurus est Deo commissus, id quod apud Spagyricæ artis peritos palàm est, vitæque longæ mirum in modum consentaneum. Hęc pręscribuntur in hunc vsum, vt quæ præter naturam sunt, physico perfectè appareant.

ARGVMENTVM
in Cap. VI.

Ex influentia corporum super-naturalium præsidium petendum longæ vitæ, tractatum à Marsilio Ficino de vita cælitùs comparanda.

Cap. VI.

Diuisa igitur duplici praxi, alia in physicam, alia in longam vitam,

quatenus vtriusq; inciderit vsus ex fine iudicabit physicus. De hac autem vita, quæ præter naturam est, qua de in præsentia loquimur, videndum, num fieri posit, vt aliqua ratione adsequamur illam in physica vita, quando extra vires, quæ secundum naturam sunt, existit, & sub illa longæ vitæ arcana delitescunt. Nam hoc loco palàm fiunt impreßiones, quæ præter naturam sunt, vtvt scilicet in supernaturalem vitam simul concurrunt, vtvt etiam firmamentũ in corpus, quod secundum naturam est, concurrit: etsi impreßiones supernaturales appareant, tamen obscura est cognitio illarum: hinc est cur impreßiones ab alijs dici cœperunt, ab quibusdam incantationes, ab alijs superstitiones, ab cæteris aliter iuxta præscriptum magicæ artis: quia ex his fluit ea, quæ Græcis Mageia est, ea præter impreßiones, quas incantationes & superstitiones appellãt, aliud nihil tractat, & idipsum in corpus supernaturale. Quare operæpretium est de corpore supernaturali in impreßionibus suis loqui: cum totam Mageiã ab Astronomis etiã in alienũ vsum tor-

Impreßiones

al's. Fermentum.

Mageia.

torqueri videã, & perperã ab omnibus fermè appellari superstitionem & pharmaceutiam quandam, adeò vt idololatria quędã esse credatur, quę, nisi interueniat influentia, prorsus silescet. Quãuis enim quaqua versum respondeant aut loquantur manes, tamen nõ nisi ea quæ pręter naturam est influentia interueniat, accidit: id quod perperã impostura Sathanę creditur: quia impossibile hoc sit homini, cum facilè assequi liceat: vt in exorcismis phantasticorum spirituum fieri videmus. Nam tota cabalistica Mageia hoc in se claudit, vt palàm faciat corpus quod secundũ naturam est, eo quod præter naturã existit, & nobis velut imago insitum, sustineri & administrari, vt diuersos & longè dissitos sensus, puta, oriẽtalem & occidentalem æquales, cogitationesq́ incognitas, cognitas absens reddat. Quãquàm difficile admodum cognitu sit his, qui huius artis cabalisticę prorsus rudes ac imperiti sunt: cum ab his etiam, qui hãc artem apud omnes iactauerunt, longè erratum sit, id quòd translatio eorũ ex Hebræo, & canones Spagyrorum in-

Influentia.

Reuchlinum videtur notare.

dicant. quapropter de praxi longæ vitæ concludimus in hunc modum. Ex influentia supernaturali imagines & gamahæas fluxisse: Hanc quidam philosophastri in astra firmamenti retulerunt, & ex carbonibus cœli Martem & Iouẽ finxerunt, qui corpus illud, quod præter naturam est, regerent, qui administrarent, cum tamen hæc nullam porrò habeant potestatem, nisi in res mortales, quæ prorsus nihil ad vitam longam faciunt. Quare ex supernaturalibus corporibus, nõ naturalibus elicienda sunt quibus ad longam vitam vtaris. Tota, enim vis illa supernaturalis, mageia est, & omnis magus influentiam quæ prę ter naturam est vnà cum corpore, sub quo vita delitescit, deprehendit, corpus inquam quod in se gerit homo, inuisibile homini, quemadmodum de generatione habetur.

Gamahi.

Innuit ab Archetypo manare.

ARGVMENTVM in Cap. VII.

Vitam longam quibusdam à Magia, quibusdam à vi minerali.

Cap.

Cap. VII.

SEd vt physicus omnia habeat, planè ac perfectè, respiciamus exempla seniorum, qui eam ob rem in mageia plurimùm laborauerunt, vt adsequerentur vitam longam, & idipsum citra omnem admissionem Hermeticæ repuerascentię, citraq; artem Spagyricæ experientiæ, quæ solius corporis est. Videamus ętatē ADAE & Mathusalem, qui bona pars sunt principiorum magicæ artis. Quanquam hoc vulgo persuasum est, maximam ætatem habuisse protoplastum, minimam habiturum hominē postremum: id quod efficax argumentum est in scholis eorum, nullo tamen pacto approbari debet, quemadmodū de ætate virorum habetur. Tantę ætatis Adami causa fuit mageia, ex cuius influentia semper vixit: idcirco miseram & posteris semper deplorandam mortem Adę, non tantum propter lapsum, sed propter scientiā, quę vnà cum illo interijt, qui spiritum summę vitæ, præter id, quod naturæ erat, solus retinuit. Itidem de Mathusalem, qui proximus Adę fuit, iudicandum. Quamuis alij nō

ADAE scientia.

ignobiles viri maioris quàm ordinariæ ætatis fuerint, vt Moses, qui centum & viginti annos compleuit, at non pro ratione Mageias, sed potius physicę vitę, cui natura quędam valida ita fuit coniuncta, vt isthuc ętatis nullo negotio attingeret. Item alij complures, quorum nomina hoc loco referre longum esset, id quod etiã apud nos, vt ad nostra tempora veniam, fieri videmus, & porrò etiam videbimus vsq; in finem mundi. Alij, qui centum quinquãginta annos transmiserunt, secundum mageiam, nõ verò secũdum naturam vixerunt. Sunt etiam qui plura transegerint secula, quàm pro ratione naturæ credi par sit, idq; adiuncta vi naturæ, quę plenè in metallis, cęterisq; rebus (quas mineralia vocant) existit, quę corpus supra cõplexionem & qualitatem ingenitam erigit ac conseruat: cuiusmodi est tinctura & lapis philosophorum, & quod ex Antimonio elicitur: & etiam quinta essentia, quemadmodum in eorum præparationibus habetur. Hęc atq; alia cõplura, spagyricę artis arcana reperiuntur, quæ corpus senectute confectum,

Tinctura differt à lapide vt inchoatũ à perfecto et consummato.

Quinta essentia à vino.

pristi-

priſtinæ iuuentuti, quaquauerſum reſtituunt & ab omni ægritudine liberum reddunt, id quod huius Monarchias peritis conſtat.

ARGVMENTVM in Cap. VIII

Vitam longam parari ex influentia preter naturã, & ex quadam metamorphoſi phantaſtica.

Cap. VIII.

EStinſuper alia ratio longæ vitę cõſeruandę, quam Mahumet ſecundum Mageiam populo ſuo pręſcripſit, & multis annis donauit, neq; idipſum ex Deo, ſed ex ea, quę præter naturam eſt, influentia: Hãc praxim, quia Mahumet tanquã magus imperito vulgo, non ſibi, aliquandiu exercuit, nomẽ immortalitatis meruit. Archeus aliquot annos ſupra centum ſeipſum conſeruauit, id quod ſibi vitio verſum eſt, et inter idololatriã relatum: ex ęquo enim cum illis tribus magis Sabęis (qui mageia, non naturali vi equorum ad Bethlehemitas venerunt) cabaliſticę artis peritus fuit, non ſolùm in eo, quod vitæ longę erat, ſed eius etiam, qui præter

Archeus. al's. Archelaus.

Magi, tres.

naturam est intellectus. hæc herclè omnia ex supernaturali influentia, quę corpus regit atq; gubernat, fluunt. Hos magos prudentissimos postea sunt secuti, qui se falsò hoc nomine, penè diuino, venditarunt, inter quos vnus qui filiam suam, quam maluisset in pręsenti forma perpetuò permanere, extra naturalem influentiam in corpus ab omni natura alienum transformauit, id quod euidens argumentum incantationis esse potest. Eodem modo Ierellus longam vitam retinuit, & metamorphosi naturę animum adiunxit, quorum omnium origo & ars suis locis indicabũtur. Porrò, in conseruationem eius, quod præter naturam est, corporis, plerique fuerunt æquales Mathusalem, sed in transformationibus longè errauerunt: nam operatio eorum in phantasticum corpus abijt, propter eorum inscitiam rerum physicaliũ. Quare multi sunt, quorum vita longa, in nouissimũ vsq; diem existit, fiunt tamen eiusmodi metamorphoses citra longam vitã: quemadmodum in lupis marinis accidere videmus, eiusdem vitę cum reliquis lupis.

Ierellus.

id genus animantia si pristinæ formæ restituuntur, mortalitati rursus obnoxia fiunt. Similiter & de corpore phantastico iudicandum, interueniente cibo aut hominis osculo. Hæc omnia deltice impreßioni obnoxia fiunt, priusquam tamen in impreßionem delticã abeunt non adest mors, nisi quatenus phantasticum corpus admixtum amittitur, id quod narcoticam formam gignit perseuerantem in annum ignis. Præterea, vixerunt multi vitam alienam, idq; iuxta præscriptum delticæ naturæ, inter quos fuit Syrus, qui cùm de vita laboraret, robusti cuiusdam adolescentis, qui tum fortè adsistebat, vim atq; naturam attraxisse dicitur: idq; per imaginationem sic est consecutus, vt sensus, cogitationes, deniq; animus ipse in alium trãsferretur. Per talem imaginationem Archasas vniuscuiusq; eruditi atq; prudentis hominis scientiam atq; prudentiam attraxisse fertur. Tanta est vis animi, in quo supernaturalis ille vigor existit, vt aliquoties ardenti atque adeò gliscenti concupiscentiæ satisfiat. Hinc est contemptus ille imaginum & gamahearũ,

Syrus qui alterius vitam attraxit.

al's. illum.

Archasas.

apud eos, qui ad internecionem vſque hac imaginatione ſunt abuſi. Hinc ſunt verba illa, characteres, ſigna, formæ ac figuræ manuum, imprecationes atque orationes, quæ potiſsima cauſa ſunt incantationis atq; adeò verborum, quæ vulgo ad vulnera, cæteroſq; morbos adhiberi ſolent. Denique quicquid in hanc formam fieri poteſt, vi eius, quod præter naturam eſt, corporis nobis inſita, fit. Porrò, ex his quæ præter naturam ſunt, impreſsionibus, erumpunt etiam aſtra firmamenti, Venus & Saturnus, cæteriq; planetæ, ita, vt ea quę pręter naturam eſt influentia, aſtra inferiora regat ac gubernet. Quicquid ergo in gamahæa & imaginationibus fit accedentibus planetis ac ſignis, totum hoc quicquid eſt ad ſuperiora ſigna referri debet. Quare quę caduca ſunt corpora atq; adeò morti obnoxia, ſupernaturali illa vi à morte liberari facilè poſſunt. Præterea, donauerunt Venus & Saturnus, Mars atq; Mercurius, (in ſuperiori firmamento curſum ſuum exercentes) pleroſq; mortales, immortalitate, & idipſum citra vllam operam humanã acceden-

cedentibus imaginationibus. Ex quibus non pauci, cùm in aquis tum etiam in terris exiſtunt, viſibiles & inuiſibiles, quorum aliqui per delticas etiam impreſsiones eò peruenerunt: neq; prorſus Nymphę, quemadmodum de generationibus animalium habetur. Hactenus de his, reliqua quæ hoc loco requirũtur, alibi in Archidoxis indicabimus. Nunc ad duplicem praxim longæ vitę: in qua, quæ ad ſpagyricum attinebunt plenè dicetur. al's. Sana.

Libri primi de Vita longa finis.

PH. THEOPHRASTI PARACELSI IN LIBRVM ſuum de Vita longa II.

PRAEFATIO.



A quæ in ſuperiori opuſculo in genere de Vita longa tractauimus, iam hîc in ſpecie enumerabimus, puta, ſingularem quandam medendi rationem, id quod interuenientibus al's. Sana.

arcanis, ſpecificis, & id genus alijs fieri conſueuit, & extra Vitam longam, vt in Apoplexia, vulneribus & huius generis cæteris morbis: integram enim atque adeò ſanã vitam longe præferas neceſſe eſt, vt innoteſcat fundamentum cui omnis valetudo, vitaque longa innititur. Eſt igitur huius ſecundi libri ſtatus ac ſumma, vt integra vita conſeruetur, neque vnquam in corruptionem erumpat. Hinc eſt cur primo loco virtus arcani, deinde natura balſami requiritur. Nam vniuſcuiuſque arcani comes eſt ſanitas: & in hanc ſententiam ſubiectũ vitæ longæ accipias oportet. Bifariam ergo diſtinximus librum ſecũdum: aut enim firmum eſt, aut infirmum corpus: Si firmum, in eadem valetudine conſeruandum eſt: Sin infirmum, aut aliqua ratio ægritudinis in illo deliteſcit, ſingula genera vnà cum ſpeciebus ad inſignẽ aliquem canonem, medicum, quem magiſterium vocant, reducas oportet. Ea eſt ſingularis medendi ratio, quamuis multo iuſtiore nomenclatura, ſed alia ratione, vniuerſalis dici poſsit propter ſpecies, quæ ſi ſub vnum genus congerun-

geruntur, iam non ſingularem, ſed vniuerſalem curam conficiunt. Tamen cõmunis quiddam eſt, id quod in calce huius libelli dicetur, quod omnia genera in vnum complectitur, quemadmodũ particularia, ſpecies, cuiuſmodi eſt ratio medendæ febris, quæ in ſe includit Synocham, Ephimeram, Ethicam, Cauſona, cæteraſqꝫ ſpecies. Similiter Hydropiſeos, quæ Aclyten, Tympaniten & Hyſarcham continet. Item Guttæ, quæ lethargicum, torturam, paralyſim, apoplexiam. Magis vniuerſale autem claudit in ſe Guttam, febrim, hydropiſim cæteroſqꝫ morbos vniuerſos, eſtqꝫ illud arcanum, quod in Archidoxis Parrhiſijs dedicauimus. Et tinctura, quę leproſum humorem metallorum pellit, haud diſsimiliter operatur, fulgetqꝫ ad elementum redactum quaquauerſum velut ignis, qui quicquid corripit conſumit: Neqꝫ enim ſpecies vllę ſunt, neqꝫ genera vlla quin igni corripiantur. Huc reſpexerunt ſpagyricæ artis profeſſores, qui tum demum medicamina corpori accommodanda dixerunt, in ignẽ redacta: per hoc enim elementum om-

nis ęgritudo consumi debet à quolibet medico. Quanquam aliàs de auro potabili, similiter de quinta essentia mentio fiat, tamē hîc singula ad Cheiri, & ad spagyricum anthos referemus, id quod nō paucos fefellit: inter quos est Arnoldus vnà cū æmulis suis, qui sub lunaria hoc produxerūt. Nos in hoc secundo libro singularem medendi rationem in vtraq; medicina, adiunctis rationibus, quibus inuenias illud circa morborum originem, descripturi sumus. Ad finem sunt adiecta Cheiri, Balsamum, quæ tamen peritissimum huius rei lectorem requirunt.

PH. THEOPHRASTI PARACELSI MEDICINÆ & Philosophiæ vtriusque Doctoris, de Vita longa, Liber II.

Cap. I.

DE PODAGRA



Ria sunt quæ ad perfectam curam podagræ requiruntur, purgatio, aperitio, consolidatio & cura perfecta. Principiò purgetur omnis podagricus plena ac perfecta purgatione, & hoc fa

ciat

ciat arcano corallino, quo interuenien- *Arcanũ corallinum.*
te, eliciuntur fluxus podagræ, adeò, vt
ne locus amplius relinquatur huic tyrannidi. In hoc corallino, vel quod ex
essentia auri est, tanta vis ac virtus inest
vt eam, nisi hac purgatione, à medico
deprehẽdi impossibile sit: Fiat ista purgandi ratio sexies aut septies pro vetustate, siue duritia, siue natura podagræ.
Præterea, si denuò reliquę supersint, aut
podagricus alioquin infirmior sit, quàm
vt purgationem hanc ferre possit, aperiatur in hunc modum: Illic, vbi centrũ
podagræ delitescit, aperi, & idipsum interueniente Alcali spirituum. Sub hanc *Alcali spirituum.*
apertionem oritur cõtinuò tumor, subtus quem, quicquid centro inseruit, cõfluit, & in abiectione Aeschæpare erũpit. Tunc vbi iste fluxus podagræ desierit, tum demum curam integram atque
in hunc modum aggredere, scilicet cataplasmatũ, quæ sunt ex Mumia. Et hęc
sunt quæ podagram medicãtur. Quanquam liquor ex Mumia temperatus, si
morbus recens est, neq; indurauerit, siue in tophos abierit, citra apertionẽ etiã curet, vi tamẽ natiua potius hoc fit,

vt per ſpecificam naturam. Tertia ratio medendæ podagræ, eſt, per Mumiam alcaligatam & liquorem de Mumia, in hanc ſententiam: Indies podagricos artus inunge, per hebdomadas octo (pro ratione ac natura podagræ,) triplex iſta medendi ratio, quicquid mutilum, quicquid deniq; mancum eſt, priſtinæ ſanitati reſtituit. Noua hæc eſt, certò ſcio, pellendi morbi ratio maximè apud inſulſos & medicos indoctos, & contra canones eorum, vt iſti cauillantur, qui de medica profeſsione, præter inanem titulum, cæterum nihil prorſus reportauerunt.

Mumia alcaligata.

Cap. II.

DE GVTTA.

AD propellẽdas ægritudines, quæ oriuntur ex gutta, & ſpeciebus guttæ, cuiuſmodi ſunt morbus lethargicus, paralyſis linguę, membrorũ, &c. Apoplexia, oris tortura, & aliæ ſpecies, requiritur cura generalis: Nam in his omnibus nil aliud pręter vim naturę conſiderari oportet, neq; purgatio, neq; ſimplex confortatiuum, neq; vnctio,

Cura generalis.

ctio, neq; aliud quicquam in quo tanto
pere laborauerũt, cùm Valescus de Ta
ranta, tum etiam hi qui ante Valescum
de hac re scripserunt. Principiò obser-
uandum, in qua valetudine naturæ, vis
illa, qua guttæ consultum volumus, re-
periatur. Sed priusquam ad illa perue-
niamus, sciendum, Guttam (quod ad quantitatem attinet) non plus scrup. 1. in se continere, Apoplexiam ad scrup. 1. nõ prorsus ascendere: Nihil igitur est quod obseruemus tam prolixos Auicennæ canones, cum pauca admodum de substantia in se habeat morbus: neq; fieri potis est, vt illis loca atq; dolores comprehendantur: Quare talia adornari debent confortatiua, quæ scilicet materiam expellant, & ex sui natura vincant: quoties enim Gutta cannas in pulmone præfocat, toties apoplexia vnà cum præfocatione continuò sequitur, quam non nisi arcana tollunt. Hinc satis liquere puto, vel tantillum in re medica mysterij pluris fieri, quàm vnuersa Auicẽnæ somnia, quàm vniuersum myropolium, quàm vtraq; lumina & præpositum, vnà cum insigni experientia,

Gutta scrup. i.

Apolexia.

Arcana.

quàm Thesaurus præscribit, quibus ha ctenus penè vniuerso orbi illusum est. Sed redeamus ad arcana domini Dei nostri magna munera: Duplex est arca num, aliud vitriolatũ, aliud Mercurius auri, quem vulgus Salernensium medi corum aurum potabile falso appellat, adducti opinione Hermetis, quam suæ ignorantiæ prætexũnt, adeò, vt Horizontem pro auro potabili acciperent, scilicet egregij homines, qui Hermetẽ ex propria ipsorum inscitia iudicant. Cætera arcana extrinsecus vsurpanda cuiusmodi sunt balsamum, Aloe, myrobalana omnia, &c. in nucha sunt administranda. Hæc sunt quę Rupescissa, atque eius sectę homines, nunquam sunt adsequuti, qui in additione extractionis elementorum frustra sæpius laborauerunt. Quapropter qui in hac re insignis medicus esse optat, se ad doctrinam & separationem Spagyrorũ conuertat, quo extractionem mysteriorum ritè addiscat. Alioquin fieri non poterit vt rectè medeatur, siue in paralisi, siue alijs speciebus, quæ sunt de Gutta, sed consulo vt sequatur fideles meas instructio-

Inter intrinseca.
Arcanũ vitriolatum.
Mercurius auri.
Arcana extrinseca.

ctiones, & vti dictum est, hac via propellat cōtractiões. Dosis vitriolati sunt gran. iij. Dosis Horizontis gran. iiij.

Cap. III.

DE LEPRA.

Singulæ species lepræ, Leonina videlicet, Elephantia, Alopicia, Thyra, Morphea & Vndimia, ad eandem medendi rationem, quæ fit per regenerationem, referūtur. Omnis enim lepra frigidior & præpinguior natura plus iusto est, neq; fieri potest vt concilietur medicaminib⁹ leuioribus. Quod namq; est oleum ad aquam, hoc idem est lepra ad medicinam. Quare plenam atq; perfectam curam aggredi si volumus, oportet fieri per præparationē regeneratiōis, quę effici debet iuxta pręscriptum spagyricæ tincturę, hac in forma. Ab initio sunt mundanda metalla leprosorum mediante tinctura, in qua duplex tinctura & duplex lepra delitescit, rubea videlicet & alba: hanc Lunarem, illā Solarē appellāt Spagyrici: prior ex tinctura Solis, posterior ex tinctu

Lepra species.

Regenerationis forma ex tinctura.

ra Lunæ elicitur. Hic non reor operæprecium fore ea penitùs obſeruare, quę tum veteres tum neoterici magna oſtentatione de origine lepræ ſcripſerũt: cum praxis per ſe illa ſecum trahat & in lucem proferat, ſed puto Spagyricè agendum eſſe, & admonere hos, qui velint opem ferre leproſis, vt prouideant, ne cum his, qui Mercurium ſolis, quem plerique Spagyricorum primam materiam appellant, Aurum potabile falſò crediderunt, aberrent: quibus, euentus acta probauit, ſicuti Archelaus refert, &c. Nos nunc aſſerimus rubeam leprã à Mercurio Solis, albam à Mercurio Lunæ ſanari: itaque, ibi eſt totus ſcopus eius artis, vt Mercurium exactè cõficias, & præſcias, etiamſi Mercurius ad tingenda metalla non omnino ſufficiat, valere tamen in corpore, tantũ, vt illud ſanitati reſtituere potens ſit. Præterea ſunt alia arcana, quorum alibi de Vita longa fit mentio, quæ lepram ex æquo tollunt.

Mercurius ſolis non eſt aurũ potabile.

Cap.

Cap. IIII.

DE EPILEPSIA.

PErfecta medendæ Epilepsiæ ratio, bifariam fit, neq; idipsum absq; peritißimo huius rei viro, propter arcana & praxim chirurgicam, quæ inseruiunt contra Epilepticum morbum. Principiò, deprehenduntur arduæ quędam atq; adeò supernaturales essentiæ, per præparationem, sicut in vitriolo, camphora, spodio, monocerote, & alijs talibus, quæ citra hunc captum subtiliter nullo pacto eò redigi possunt: aliqua in narcoticis, alia quæ extra naturã & essentiam super-naturalem, aut occultißimam speficam proprietatem influentiam in paroxismo epileptico vim suam exercent ac habent: cuiusmodi esse potest pæonia, & sanguis vnà cum membris vel partibus corporis, in quibus oritur morbus: vtvt illa omnia fuerint, tamen curationis auspicatio semper incipiatur ex parte iuxta rationem physicam, partim chirurgicam, neq; sine subtili captu & speculatione Spagyrorum. Quod attinet ad chirurgiam, est duplex ratio: Prior, ad præparandum

Vitriolum, camphora, spodium.

Pæonia, Sanguis. Membra corporis.

Ratio chirurgica duplex.

emunctorium caducum: Posterior, ad eliciendum humorem epilepticũ. prior talis est: Aperi craneum idoneis ad id instrumentis, deinde, aurea aut argentea canna, suo loco impositum consolida, vitæ bonæ pristinæ restitue, iam omnis morbus caducus eiusmodi emunctorio adornatus, in paroxismum abire nequit. Hæc de priore curationis parte. posteriorem sic percipe: Resolue membrum epilepsia corruptum, aut superiorem partem membri, puto ligamenta, arterias in circuitu, idq; corrosiuo narcotico usq; ad ossa. Deinde rursus consolida, nascuntur continuò ligamenta narcotica, arteriæ, deniq; caro ipsa, quę porrò non sinunt morbum in paroxismum erumpi. Hæc de ratione chirurgica.

Ratio physica. Ad phisicam nunc: Recipe oleum vitrioli correctum & aurificatũ, vel per phlegma forma circulari temperatum, vel per oleum rubeũ, siue viride, quod sub cholchotar delitescit. vtrunq; liberat à morbo caduco, idq; præter eam ętatem, quã Hippocrates præscribit (atque hinc satis firmũ est ipsum unà cum suis interpretibus non satis intellexisse

ea quæ epilepsiã pellunt)inuncta pars memorialis, & balsamo quod est de hæderis, & fiat post paroxysmum, similiter morbum pellit. Præterea, inunctum occiput balsamo, Elenijs & idipsum in vehementissimo paroxysmo, morbum ex æquo sanat. Sunt insuper alia præclara remedia contra hunc morbum, vt est arcanum sanguinis, cæteraq; membra sed illa propter temporis angustiã & alias certas quasdam causas præterimus.

Cap. V.

DE FEBRIBVS.

AD febres remouendas sit primò purgatio febrilis, deinde cura specifica & minutio causalis, ita vt diaceltatesson præcedat secundum medicamen. Nam hac purgatione pellitur omnis febris in materia peccante. Porrò, si non dilatatur morbus, iam neq; cura, neq; minutio requiritur: plerunque namq; diaceltatesson, integram curam complectitur. Sin in membra spargitur, sequitur continuò, oppopyron laudani, id quod febrim vnã cũ dilatatione

Diaceltatesson.

Oppopyron laudani.

Minutio. propulſat. Minutio autem ſiue ſaluatellæ, ſiue cæphalicæ, ſiue ea quæ per ſpinam dorſi fieri conſueuit, materiã peccantem in ſanguine, idq́ intra cutem & carnem, tollit: quod hoc loco tria ſunt, quæ ſub vnam medendi rationem clauduntur, ſingula per ſe perfecta. Poſteà ne plus minusve, quàm par eſt, adhibeat medicus, diligenter oportet vt obſeruet, quid dilatatum & quid non ſit dilatatum. Nolim quenquam ibi deterreãt canones medicorũ, qui à nobis diſſentiunt, neque enim id permagni facio: nouit Deus vtilia me ſcribere: nouerũt etiam & cognoſcent plurimi eruditi medici.

Cap. VI.
DE APOSTEMATIBVS.

Apoſtemata duplicia. NOueris duplicia eſſe apoſtemata: alia etenim ſunt quæ vnà cum paroxiſmo mortem inducunt: in his plurimùm laborauerunt medici (ô miſera ac credula natio mortaliũ, cur paſſa es te apertis nugamentis, quæ de Epidemijs & alijs apoſtematibus annotata & tradita ſunt, illudere ac circumueni-

uenire:) Alia sunt, quæ paroxismum citra mortem adferens: ea medicinæ subijcimus: vtraq; in anthrace concurrunt, similiter in saphyro, in carbunculo, in pleuresi, in peste, in bubone & alijs cōpluribus. In quibusdam nulla mors inest, vt in cancere & similibus apostematibus, quæ in mammis mulierum sunt. In his omnibus cura sit in hanc sententiam. Præter Sonath, cui expulsiua virtus inest, cæterum nihil recipe. Huius enim virtute ac vi singula apostemata pelluntur. Hoc resoluit, mitigat, deniq; expellit apostemata ex corde. Vnâ ergo adsit chirurgica praxis interuenientibus maturatiuis, quibus in emunctorium redigas apostemata. Maturatiua autem cum adtractiuis ita sint coniuncta, vt expulsiuum attractiuum sequatur. Directo igitur Sonath in virtutem suā expulsiuā sequitur thyriaca, in qua inest secretum contra omne venenum: propterea ob insignem virtutem, hanc vsurpandum. Reliqua experimenta vndecunque corrosa, relegamus ad eos, qui sese passim apud omnes homines venditant, & in hoc solùm incumbunt,

Sonath.

Chirurgia.

Theriaca.

vt gloriam aliquam per fas & nefas sibi aucupentur.

Cap. VII.

DE HYDROPISI

DVo sunt quæ ad curationem Hydropicorum requiruntur, specifica purgationis, & specifica tumoris. Elice principio essentiam ex Alandahal vnà cum composito, deinde confunde cum aquila præcipitata, postea administrata purgatione pro morbi ratione, & idipsum tantisper dum abeat origo morbi. Interim administra etiam in dies essentiam tartari, vitrioli & diacubebe: Sub hæc adorna cataplasma ex rebis columbarum in aceto rosaceo, & applica donec videas prorsus consumptum morbũ. Post hæc insequitur summum specificum, spiritus vitæ ex auro extractus, quo aliquãdiu etiam vti licebit. Energia namque atque adeò vi naturæ sanari vult Hydrops, quæ tum demum iniquiritur, cùm iam causa morbi desijt. Varia ac multa sunt huius morbi specifica, quorum maxima pars hoc lo-

Purgatio. *Alandahal.* *Aquila præcipitata.* *Tartarum.* *Rebis columbarum.* *Specifica tumoris.* *Spiritus vitæ ex auro.*

co

co à nobis est annotata. Qualia, & quæ remedia Empirici in medium adferunt contra hunc morbum, illa credo nemini non esse manifesta.

Cap. VIII.

DE PVSTVLIS.

IN speciebus Gallici morbi, tria obseruabis, purgationem, curam & conseruationẽ. De quibus hæc paucula notato: purga initio pustulosum Ceniotemia, quo pellitur causa morbi, vnà cum tota materia peccante. Cauendum insuper est, ne interim â dosi & quantitate huius purgationis longiûs, quàm par sit, aberres. Præterea, si pustulæ adhæserint cuti extrinsecus, aut alioquin dolor iũcturarũ altius insederit corpori, inunge oleo, quod est ex realgare, & conualescet ægrotus. De vlceribus autem, nodis, tuberibus, siue extra corpus, siue in corpore, quæ inde exoriuntur, iuxta præscriptum praxeos, quæ de vlceribus est agito.

Purgatio Ceniotemia.

Oleum realgaris.

Cap. IX.

DE VLCERIBVS.

PRincipio quicquid eſt fluxuũ aut humorum, ſi ad emunctoriũ erumpit, ad eandem medendi formam redigitur in hanc ſententiam. Mortifica primùm, deinde mundifica, poſtremo conſolida. De mortificatione, res ſic ſe habet. Recipe alcali quod eſt ex realgare: cum hoc quicquid in corpore corruptum eſt ac mancum mortifica. Mortificatum ab Eſtphara, libera gummi, liberatum, priſtinæ ſanitati reſtitue, mediante Mumia, Quanquã ſunt quædam vlcera, quæ prorſus non indigent mortificatione. Sunt tamen alia, vt Eſtiomena, quæ mortificationem vehementius deſiderant. Idcirco, vtvt ſunt, chyrurgico exiſtimanda relinquuntur. Sunt alioquin etiam alia innumera medicorum recepta, quibus, quia non ſemel hominibus impoſuerunt, ſuiſq́ inuentis perierunt hi qui talia commenti ſunt, non video cur vtaris. Hæc de vlceribus. Purgationem, quæ propter conſeruationem corporis iure prima eſſe debet, prudenti medico committo in eam

Mortificatio

Gummi.

Mumia.

Purgatio.

eam ſententiam, quam ſupra de puſtulis præſcripſimus.

Cap. X.
DE VVLNERIBVS.

TRiplex eſt ratio ſanandorum vulnerum. Naturalis, vt balſami. Specifica, vt braſsidellia. Characteriſtica, vt magoreo. Sed priuſquam deſcendamus ad illa, principiò quæ miraculi vice erunt his, qui harum rerum imperiti ſunt, indicabimus, neq; genus, neque locum vllum in vulneribus obſeruandum eſſe, id quod veteres diſputatione admodum prolixa diſſeruerunt. vtrùm videlicet, ea ſint ſananda necne, quæ ſunt cerebri, inteſtinorũ, veſicæ: & hoc ipſum hac ratione. Quia videmus, cùm confoſſa, tum alio modo confecta vulnera, illic vbi vitæ locus eſſe nequit, nihilominus tamen conſequi mortem, quare de mortiferis vulneribus, nihil prorſus dicemus in præſentia, cùm ſua ſponte offerant ſeſe illa. Porrò hæc prima cautio eſt, ne chirurgicus ex eo, qđ medicabile vulnus eſt, immedicabile atque adeò mortiferum faciat. Hoc igitur

Ratio triplex vulnerũ ſanandorum.

opus, hic labor eſt, vt probè agnoſcas, triplicem hanc ſanandorum vulnerum rationem, longè ſaluberrimam, neq; interim audias eos, qui aliundè erogant, neſcio quæ vaniſsima commenta, imò precibus etiam à barbitonſoribus mediaſtinis, cæteriſq; hominibus leuiſsimis, indoctiſq; contendunt: inter quos ſunt Landfrancus, Petrus de Argilato, qui multa ac varia vel nuce nō æſtimanda, de vulneribus in vnum volumen cōgeſſerunt. O verè pilatos doctorculos, qui præter pileolum ex ſcarlote atq; titulum, cęterùm nihil inſignè geritis, qui ex pumice Nylum exūdantem petitis: cæcus ſequitur cæcū, & caſcus caſcam: hinc eſt cur hi, qui titu-lotenus ſcholam ſunt ſequuti, triplicem hanc medicinā, qui eſt de vulneribus, in alienum vſum verterint: Naturalem ſcilicet, quæ balſami eſt, in putrefactionem præpoſterè. Specificum, ad ea loca, quibus minimè competit, non ſine periculo torſerunt. Et characteribus circumforanei in contemptum & medicinæ & eorum. Nos verò quæ de his verè habentur apertè trademus tali via. Balſamum naturale po-

potionis vice administratum, aut alioquin vulneribus impositum, nihil aliud est, nisi Hypericon, centaurea & prunella, quæ non modo ea, quæ extrinsecus, sed etiam quæ intrinsecus sunt vulnera curat, & hoc propter virtutem, quæ in balsamo existit. Quicquid autem est de specifico: multis partibus superat balsami naturam. Nam Collatenna sub potione administrata, cùm externa, tum interna vulnera sanat, propter virtutē quę firma, atq; adeo fixa inesse solet, & tantisper operatur, dum vulnus est apertū Brassatella, si modò attigerit vulnus, neque porrò opus habet aliquo medicamine. Sunt insuper alia quamplurima specifica, quæ ad eundem modum operantur, neq; idipsum ad duodecim aut 24. horas. horum tanta vis est, vt fixum atq; adeò perpetuum medicamentum subministrēt, vel semel vsurpata, & hoc ipsum vsq; in finem vulneris. Certè hoc loco specifica experimenta recensenda essent, q̄ (quia in Archidoxis corū mentionem fecimus) nunc prætereūda censeo. De characteribus quæ tertia forma est, vt quidam approbant, sic intelli

gendum: characteres, benedictiones, & huiuſcemodi mirabilia, vulneribus à præſentibus, abſentibusq; adiuncta, vulenra ſanare dicuntur, hocq; citra omnem ſynoniam. ſunt etiam quæ ſynoniam albam ſiſtunt, cuiuſmodi eſt Staraphaxat. Alia ſanguinem, vt Kiſt & Kiſs, & id genus alia innumera, quæ alibi in Archidoxis recenſentur. Hæc ſunt quæ ſola medicum nobilitant. Quare in hac triplici ſanandorum vulnerum ratione generalem curam, iuxta præſcriptum adhibere potes, neq; interim eos, qui vniuerſo orbi impoſuerunt, audire.

PH.

PH. THEOPHRASTI PARACELSI MEDICINÆ & Philosophiæ vtriusque Doctoris, de Vita longa, Liber III.

ARGVMENTVM Libri tertij.

Superiore lib. tractatum est de morborum curatione, hoc autem, de sanitatis conseruatione.

Cap. I.

POstquam de particularibus arcanis, quæ corpus morbis confectum, pristinæ sanitati restituunt, diximus, inde, vbi superiora desierunt, ita auspicabimur, vt ea, quæ in superioribus libris tradita sunt, tandem iam absoluantur, & corpus physicum tanquam balsamum conseruetur. Etsi particularia arcana, & huius tertij libri materies ad idem corpus referantur, & etiam vna eademq; præparatio existat, tamen praxis in hoc tertio elixiro alia est à singulari ea medendi ratione. Quare in hoc tertio libro primas obtinent flos cheiri & anthos, in hoc enim absoluitur elixiridum arcanũ, atq; hoc vi & virtute totius quintæ es- *Flos cheiri et anthos.*

ſentiæ. Principiò ergo, quo ſingula magis intelligantur, quid quintum eſſe ſit, breuiter interpretabor. Quatuor elementa procreat natura, ex quibus temperata quædam eſſentia cõficitur à ſpagyro, quemadmodum flos cheiri exprimit. Hoc loco etiam parui referre arbitror, quæ ſuper hac re ars Lullij habeat, cum plus ſedecim pedibus (vt dici ſolet) ab vniuerſa monarchia quam Archidoxa præſcribunt, aberret. Aliud nanque eſt extractio, aliud confortatio, aliud melioratio, vt iſtorum hominum vocculis vtar, quorũ Raymundus in eo libello, qui inſcribitur ars Lullij, meminit: & ex his falſo quintam eſſentiam æſtimauit. Hæc quòd magis ſunt arguta quàm vera, ſilentio præteribimus. Flos auri, flos amethyſti, denique quicquid eſt Diaphineæ naturæ, margaritarum, ſulphurearum, chachimiarum, & quicquid eſt aluminoſorum, zerebothinorum, & id genus aliorum, quæ aqua gignit, charabarum, coralliorum, hæc inquam omnia ſunt obnoxia pro ratione temperationis, quæ, interueniente corruptione elementorum à ſpagyro fieri cõſueuit.

Eſſe. v. *Ars Lullij.* *Extractio, Melioratio, Cõfortatio.*

Cap.

Cap. II.

De principijs metallicis tincturæ philosophicæ.

POrrò totius rei summa in hoc est (quando ea quæ hoc libro de elixiro dicuntur, singula advitam longã sunt referenda) vt vniuersa natura redigatur in spagyricam mixturam seu temperationem, quæ nihil aliud est præter naturę bonitatem, cui nihil aliud quod corruptibile est, nihil deniq; aduersi, inest. Etiamsi alia ratione ac varia eadem naturæ bonitas deprehẽditur in tinctura iuxta præscriptum naturæ, quæ in lapide philosophorũ existit: in Antimonio secundũ corui naturam, in sulphure iuxta lunariæ effectũ, & sic in alijs. Tamen in his omnibus est vna eademq; tẽperatio, quæ inter metalla sub mercurio delitescit. (Mercuriũ dico qui omnibus metallis inest) Inter gemmas, sub crystallo: inter lapides, sub zeloto: inter liquores, sub carabe: inter herbas, sub valeriana: inter radices, sub peucedana, inter amara sub vitriolo: inter silices, sub Antimonio. Præterea, sicut mercurius singulis metallis inest, sic Antimonium

Antimoniũ.
Sulphur.

Mercurius, qui.

ſilicibus, vitriolum Sali, Meliſſa herbis. Et hæc ſunt nomina Elixiri temperati. Obſeruandum igitur in Elixiris inſequentibus ſulphur eorum, quæ iſti mineralia vocant, quintam eſſentiam eſſe mercurium metallorum ex quibus elicitur natura corporis. Nam Cheiri, Veneri præſtat: Anthos Marti. Quarum vis ac natura eſt, nõ tam vt morbos pellant, quàm vt corpus illud vitæ longæ, quæ inferiori influentiæ obnoxia eſt, reſeruent. In hanc ſententiam Elixira longæ vitæ multis ac varijs nominibus comprehendi volumus: cum vna eademq́ vis ſit eorum. Nobis autem (ſi forſan miraris hanc tractationem) viſum eſt interim ludere in vocabulis, ne ingrati prima lectione percipiant ſententiam, & dein flocci pendant noſtra, magno tamen eorum incommodo, ſed diligentius inquirãt, & pulchra vtiliaq́ cenſeant, & apertè id fateri teneantur.

Quinta eſſentia metallorũ

Ratio nouitatis verborũ.

Cap. III.

DE AVRO.

EX cunctis Elixiris ſummum ac potiſsimum eſt aurum, itaq́ principiò ipſius

al's. Potentiſſimum.

ipsius mentionem faciemus. huius si rationem intellexeris, aliorum, quæ à corpore separantur, non potes non nouisse. Reliquorum quæ à corpore non separantur, infra, vbi vini tractatio auspicabitur, non obliuiscemur. De elixiro auri talis est praxis. Resolue obrizum vnà cum omni substãtia auri corrosiuo, & idipsum tãtisper, dum fiat idẽ cũ corrosiuo.) Neq; abhorreat animus ab ista tractãdi ratione. Nã auro, quatenus aurum est, corrisiuum prestat, & citra corrosiuum mortuum est: quare quintum esse auri sine corrodente inutile esse affirmamus,) tunc resolutio hæc per putrefactionem vel incinerationem remouenda est, etiam si corrosiuum tenacius adhæreat. (Si tanta vis auri est, vt corpus conseruet, ac liberum reddat ab omni ægritudine, neq; corrumpi id sinat, quanto magis seipsum, hocq; citra omnem infectionem: corrigit enim ac emendat quicquid non est syncerum. Igitur corrosiuum in auro nullo pacto appellari debet corrosiuum: quia vis arcani superat omne venenum. Nam omne Realgar moritur in elixiro auri, & in tin

Aurũ cũ omni substantia.

Vis corrosiui.

Realgar.

ctu ram abit medicinę præstãtem) sicq; in hunc modum peracta inhumationē gignitur aurũ potabile. hanc dosim seu mauis harmoniam quandam prę̨scribit peruulgata spagyrorum praxis. Postremò obseruabis de elixiro, cuicunq; con fertur elixir: idem ita trãsmutat, ut haud dissimiliter sibi, fixum porrò maneat.

Aurum potabile.

Cap. IIII.

DE PERLIS.

SEd vt ea quæ de quinta essentia diximus clarius fiant, obseruandum, nihil magis auro propinquũ perlis esse. Quatuor ergo elemẽta, quę per lis insunt, eadem ratione cum auro in tẽperationẽ redigas oportet, id quod verè existit quinta essentia citra amissionem substantiarũ. Porrò si iuxta prę̨scriptũ perlas in quintam essentiam transmutare velis, pro ratione quintæ essentiæ age, neq; quicquam immuta præter principium, in quo vltimam materiam, quæ in conficienda quinta essentia Solis, prima materia existit, adiungi necesse est, ea ex huiuscemodi recepto elici-

Elementa in tempore reducta sunt quinta essentia.

Limonū in ęquorem reductio.

in

tur. Omniũ imprimis redige limonem in liquorem, denuò reeleuatum, in perlæ calcinationem arripiunt, exiccatę resoluuntur, quę resolutio in elementum, cui prorsus nulla complexio inest, erumpit. Est enim huius vis vniuersa, similis quintæ essentiæ. Nolim hoc loco admittas rationẽ extractionis, quam Archelaus pręscribit, necꝫ similes alias separationes spagyricas. Nam superior transmutatio nõ modò ea membra, quę debilia sunt, pristinæ valetudini restituit, sed ea etiã, quę valida sunt, ac robusta, in eodẽ vigore cõseruat. Hinc fit quod perlę pluris quàm reliqua spermata fiant, inter quas longe pręstantissimas ostrearũ esse dico. Quãquã hoc loco nõ minimas partes ferat (ceu Archidoxa habet) homũculus, quẽ Negromantici Alreonem falsò, & philosophi naturales Mandragorã appellant. Tamen non nisi in cõmunem errorem abijt propter chaos illud, quo isti obfuscarũt verũ homunculi vsum. Origo eius etiã cuiusdã spermatis est, & per maximam digestionem quæ in ventre equino est, fit, similis ei per omnia, corpore & sanguine

Homũculus Alreo seu Mandragora.

principalibus & minus principalibus membris, à quo prodijt: Sed nunc huius efficaciam præteribimus, quandoquidem non tantum vt perlæ, apud huius rei peritos, innotuit.

Cap. V.

DE EXTRACTIONE *quintæ essentiæ ex Herbis.*

SVprà quintæ essentiæ mentionem fecimus, quæ citra vllam extractionem fieri debet. id sic intelligendum est: In Elixiro, quo de in pręsentia mentionem facimus, quinta essentia nullo pacto alici potest ex herbis absq; extractione: propter diuersitatem essentiarum, quę vni substantiæ insunt. Hæc ita sunt segreganda, vt herba maneat herba, & quinta essentia. quamuis in qualibet herba sint quatuor elementa duplata, quinta tamen essentia non adest duplata, sed altera pars solum: alterã, quæ est substantiæ relegamus ad eas artes, quæ particulares sunt, & quod Elixiri est tractabimus: id quod exemplo Melissę clarius innotescet. Digere Melissam philosophico mense in Athanor, dein-

Elementa duplata.

Exemplum Melissæ.

deinde ita ſepara, vt duplata elementa ſeorſum appareant, continuò eluceſcet quintum eſſe, quod elixir eſt vitæ, ſimiliter vino generoſo & idipſum variè, in Nepita, acerba: in Lolio, Lutea: in Tincio, nigricans: in Lupulo, tenuis ac alba: in Cuſcuta, auſtera: in aliјs ſimiliter iudicandum iuxta experientiæ præſcriptum. Porrò, extracto ſpiritu iſto, & ab altero ſeparato, ecce vinũ ſalutis, in quo philoſophi aliquot ſecula laborauerũt, nihil tamen vnquam ſunt aſſecuti. Et bona pars eorum qui imitati ſunt Raymundum, aliquot dolia exhauſerunt. dum elicerent quintam eſſentiam vini, nihil prorſus tamen deprehenderunt præter vinum aduſtum, quo perperam pro ſpiritu vini, vſi ſunt. Quæ hoc loco etiam requiruntur, alibi in philoſophia de generationibus reperiuntur. Sufficiat iam admonuiſſe Spagyrum, qua ratione herbis quinta eſſentia inſit, deniq; quæ in his ſint inueſtiganda.

Elixir vitæ.

Vinũ ſalutis

Contra quintã eſſentiã vini Lulliſtarũ

Cap.VI.

DE ANTIMONIO

Tex.finit. *Tex finit.*

SIcut antimonium affinat aurum, sic eadem ratione ac forma affinat corpus: in illo enim est essentia quæ nihil impuri cum puro confundi sinit. Neque quisquam spagyricæ artis imperitus, deprehendere potis est vim tam magnam antimonij: & in principio rerum eò deuenit antimonium, & inter metalla, quæ aquæ sunt, sic est relatum, vt porrò etiam diluuio exacto, vis huius gemina atq; adeò virtus permanserit, ita vt se ex influentia semper dirigat, neq; aliquid de vi atq; virtute natiua vnquam decesserit. Meritò igitur omnia, quæ mineralium sunt (quorum summum ac potissimum arcanū in se claudit Antimonium) vni huic tribuimus. Mundat seipsum vnà cū reliquis quę immunda sunt. Præterea, si nihil omnino sani adest: immundum corpus in mundum transformat: ceu in expositione lepræ habetur, quæ omnia apertè manifesta facit spagyrica praxis. Verùm ne longius, quàm par sit digrediamur, & tandem ad præparandam antimonij virtutē (cuius ve

al's. Genuina.

Antimoniū præcipuum mineraliū.

apex

apex vnus, aut iota omnibus codicibus qui in nostra confeſsione ſunt, præſtat) perueniamus, ſic habe. Primò, vide ne corrumpatur antimonium, ſed totum hoc, quantum eſt, integrum maneat, citra vllam amiſsionem formæ. Sub hac enim deliteſcit antimonij arcanum, id quod per retortam impelli debet ſine omni capite mortuo: ac denuò, in tertiũ Cohop reduci: tum demum erumpit. Doſis eius grana iiij. in quinta eſſentia Meliſſæ adminiſtrata. Huic præterea nihil tribuit Archeus terræ. *Antimonij præparatio.* *v. Eſſantia.*

Cap. VII.

DE SVLPHVRE.

ARdua res eſt, & multis nominib9 celebranda, tantã ineſſe vim atq; naturam terræ, quæ balſamũ procreet, cuius hæc eſt natura, vt porrò nihil putreſcere ſinat. At ſi conſideras reſinas, quarum potiſsima pars eſt ſulphur, nihil eſt, quod ſuperiora laudes. In ſulphure balſamum eſt, quo de nemo non variarum artium ſtudioſus meminiſſe debet. Nam in eo

ſunt liquores balſami, qui neq; viuum neq; mortuum quicquam putreſcere ſinunt, ſed corpus ita conſeruant, vt nulla neq; influentia, neq; naturalis corruptio vel impreſſa in corpore deprehendi poſsit. Nemo miretur hoc loco tantam ineſſe vim in reſinis terræ, neq; maiorem prędicationem huius, quàm quę balſami ſit ſuprà terram creſcentis, & huius vim atq; virtutē declarantis. Nam in his, quæ occulta multò plura deprehenduntur, quàm in his quæ manifeſta ſunt. Sic in ſulphure multò plura deprehenduntur, quàm in cæteris reſinarum partibus. De ſulphure autem (vt ad tractandi rationem perueniamus) ita intelligas. Eleua ſulphur à Colcothar ſpagyrico more, idq; tantiſper dum non ſuperat ignis. hoc quod natura colcothar ſulphuri tribuit, idem ſpiritus fixus eſt balſamus terræ, de quo hoc loco paucula admodū ſcribimus. Nam eius virtus per experientiam laudabilis & manifeſta eſt. Etſi aliqua de gummi quædā etiā ex reſinis, cæteraq; id genus eiuſdē naturæ ſunt cum balſamo, tamen inter illa primū ac optimū eſſe puto ſulphur.

Colcothar eſt vitriolū.

Cap.

Cap. VIII.

DE MERCVRIO.

ELixir ex Mercurio eadem ratione qua ad transmutanda metalla adornatur, confectum, plurimùm valet ad pellendam mortem. Nam eius rubigo, quam Lullij sectatores falsò florem appellant, nil nisi mors est: sicut enim mors consumit ac conterit corpus, sic rubigo metallum. Quicquid ergo tinctura illa tingit, longæ vitæ plurimum inseruit, & id ipsum tanto efficacius ac fortius, quanto altius (absit inuidia dicto) gradum Veneri attigerit, quanto acrius etiam ac subtilius in preparatione reiteratum fuerit. Neminem deterreant Rupescissæ fabulamenta, qui suo consueto more, temerè ac frigidè super hanc rem scripsit: videlicet in tinctura corporis aurum, & similia quæ Mercurij sunt, deniq; quicquid ex spiritu solis, aut arsenici confectum, prorsus esse fugiendum. Ad tincturam Mercurij (cuius virtus est ex subtili acrimonia quam à natura Archei habet) propius accesserunt Albertus ac Thomas, in coagulatione autem nimia, & gradu reiteratio-

Elixir ex mercurio.
Contra Lullium.
ad s. veneri.
Contra Rupescissam.
Albertus. Thomas.

nis, quibus totum negotium obruerũt, falsi sunt. Quamuis in adornãda tinctura eorum quiddam est, quod veræ tincturæ finitimum est, in hanc sententiã. Sicut metalla transmutantur ac plené figuntur, sic etiam corpus. Ad hunc modum reduc Mercurium in eleuationem tantisper: dum in fixum crystallum abeat, deinde in resolutionem ac coagulationem digere, & cum auro coniunge, ita vt fermentum eius hoc ipsum fiat. Proinde iuxta præscriptum Hermetis age, vsq; in finem lapidis, cuius dosis est gran. 1. Huius vis ac virtus corpus integrum conseruat.

Mercurij præparatio per fixionẽ.

Coniunctio Mercurij cum auro.

Cap. IX.

DE SPIRITV VINI.

Vinum quid philosophis.

SVpra vbi essentiæ herbarum memini, nihil aliud nisi vinum esse ostẽdi, sed hoc sic melius intelliges. Spiritus vini à substantia eiusdem prodit: nam huius subiectio existit vinum, sicut marrubium proprij ac natiui vini. Quare, vt spiritum vini, tanquam essentiam (quæ verè elixir est) habeas, sic percipito. Veluti persicariæ libra 1. scru. ij. vini emittit: v cisini libra. 1. plus scrup. i.

non

non capit. Reliquum est phlegma vini: id quod ad præsens Elixir parum confert. Porrò, inquisitio huius essentię fiat ad hunc modum. Digere vinum (pellicano infusum) fimo equino, idq; bimestre spatium, continuò videbis adeô tenuè ac purum, vt pinguedinem quandã (quæ spiritus vini est) in superficie vltrò eliciat: præterea, quicquid sub ea est, phlegma citra omnem vini naturam existit. Pinguedo autem sola phialæ inclusa, & per se digesta, summæ energiæ est ad vitam longam: nec verò solùm ad vitam longam, sed etiam ad alia quædã praxis illa torqueri potest, hocq; ipsum interuenientibus Cinamomo, xylobalsamo, myrobalanis, similibusq; bonis aromatibus. Sed ita ijs agendum cogita, aromata pinguedini commisce, & mediante in ventre equino digestione, sic cõiunge, vt Elixir, quo de hoc loco mentionem facimus auroq; adiuncto medicina adornetur: quæ communem contractionem tollit, ac membra resoluit & reficit.

Extractio spiritus vini p circulationẽ.

Coniunctio spiritus vini cum auro.

Libri tertij finis.

PH. THEOPHRASTI PARACELSI MEDICINÆ & Philosophiæ vtriusque Doctoris, de Vita longa, Liber IIII.

Cap. I.

De vita summi Iliastis.



SVpra in primo libro fundamenta ieci vitę longę, ea hac in parte absoluemus. Non enim video cur ipsa, quæ ad integram vitam adeò sanam pertinet, hic denuò repetam: cùm in superioribus libris, secundo & tertio de his à nobis iam abũdè dictum sit. Quare in hoc quarto libello supremã manum imponam his, quæ supra in primo libro, de ea, quæ præter naturam est, vita, incepimus, idq; ipsum pro ratione theorica.

Principiò proponimus vniuersis spagyricis, cûm Adæ, tum Mathusalem ætatem, id quod in secundo capite mox sequenti indicabitur. Antequam tamẽ illa enarremus, prius de vita longa quę in manu maximi Iliastis est, exactè dicemus, & hæc pro ratione magnalium: vbi plura de libero arbitrio arripienda esse

Iliastes maximus.

esse admoneo, quàm quæ nos ex elementis administrare possumus. Hæc vt rudius & apertius manifesta fiant, fingamus oportet Enochdianos: quam influentiam si in mente nostra perinde ac ignem in ligno non sine vulgari virtute gesserimus, fieri potest, vt ad hanc vitã perueniamus vel nullo negotio: id qđ exemplo Ioharnetis palàm fit, cuius natura neq; vnam ætatem solam, neq; seculum vnum duntaxat comprehendit. Sed n'e in his meis paramyricis libellis præbeam calumniandi ansam, his, qui scripturas variè torquẽt, nihil certi hoc primo capite definiemus de vita summi Iliastis, vtrum, hic in corporalibus elementis sit, aut porrò etiam in quinto viuat, vbi nullum corpus occurrit, vbi non modò hi quibus de mentionem fecimus, viuunt, sed etiam hi, quos somno sepultos credimus. Hęc inquam omnia sublimioribus spiritibus tantisper existimanda relinquimus, donec infra ad illa venerimus. Præterea si impleretur Iliastes ille summus, aut aliquo saltẽ haberet op9, facilè eo, quicquid esset Enochdianũ perueniret, vbi vniuersa vita no-

Enochdiani.

Ioharnetes.

Paramyrici Libri.

Somno sepulti.

stra longa suis locis in æthere ac nubibus collocaretur. Verùm semel se saturauit Iliastes, vt posthac non careat, neque aliquo habeat opus: quamobrem in hoc opusculo vltimo singula pro ratione primi libri enarrabimus.

Cap. II.

De Vitæ longæ descriptione.

ERgò vt tandem ad finem deducamus ea, quæ de vita longa tractare incepimus, principio indicabimus quid vita longa sit. Terminus vitæ longæ cōplectitur in se mille aut nongentos, aut minimum sexcētos annos. De scaturigine autē huius, quæ præter naturam est, vitæ, sic accipe. Duæ sunt in homines potestate vires, vna naturalis, de qua dictum est vsq; ad natiuum finē: alia aerea. in hac etenim nihil est corporale: quo circa, incorporalia hunc nostrum libellum absoluunt. Miseros hoc loco mortales, quibus primum ac optimum thesaurum (quem Monarchia naturæ in se claudit) natura recusauit, puta naturæ lumen, ne porrò in hac laboremus frustrà. In philosophia autē quia desi-

Quid vita longa.

Vis naturalis.

Vis aerea.

desinit ac abit natura aniadum recorda *Aniadus.*
bimur, neq; porrò mentionē faciemus
philosophiæ. Missas igitur faciamus
res naturales, missa etiam faciamus quę
cunq; sunt ex elementis, insuper etiā ge *Holisimidā.*
sta holisimidan: deniq; quæcunq; suprà
diximus, quæ sub chao, in quo summus
Iliastes existit, delitescunt: & in manus
illa de quibus in primo libro mentionē
facere cæpi, tandem accipiamus. Vt igi
tur ad annum Aniadin, aut etiam vltra
perueniamus, obseruandę sunt regulæ
sequentes. Neminem offendant, quæ *Nymphidida.*
hoc loco de Nymphidida dicturi su-
mus, quo loco simul indicabitur vis ac *Gnatini,*
natura gnatinorum, saldinorum, deniq; *Saldini,*
Salamandrinorum, & quicquid est Me *Melosina.*
losinæ. Porrò si quem præsens locus ab
alienaret, neminē offendat, sed potius fi
nem huius opusculi adeat, ubi singula
videbit.

Cap. III.

De Solis natura, & Amado.

SEd vt simul innotescat cùm locus
tùm corpus in his rebus, quòd cer
ta quadā concordātia ordinari de-
bet ac disponi, principiò obseruāda est

Solis natura Solis natura, quod Iliastis est. Nam aliud à trecentis vsq; ad sexcentos annos conseruat, id quod ad eos codices relegamus, qui tractant de natura elementorum. Præterea, quicquid ex sui natura, simul etiam loci naturam admittit, haud dissimiliter priori seculo in vnam conclusionem cogitur. Vbicunq; verò

Loci & corporis concordia. coeunt cùm loci tum còrporis natura simul, illic vel nullo negotio peruenitur ad sexcẽtesimũ annũ. Quorum aliquot qui isthuc ætatis attigerunt commemorare possem, nisi aliò properaret calamus. Sunt præterea qui aliquandiu atque adeò furtim sunt seruati, idq; per vitam longam: quorum ratio quod nulla, nisi quatenus Iliasti tribuerũt, & hoc loco prætereundum censeo. Sic quicquid non est aereæ vitæ hoc loco tollitur. Idcircò sequuntur, qui vitam aereã vixerunt, quorum alij à sexcentesimo anno, ad millesimum, & ad millesimum centesimum annum peruenerunt, id quod iuxtà pręscriptum magnaliũ, quę facilè deprehenduntur ad hunc modũ

Summa mysterij. accipe. Compara aniadum, idq; per solum aera, cuius vis tãta est, vt nihil cum

illo

illo commune habeat terminus vitæ. Porrò si abest iam dictus aer, erumpit extrinsecus id, quod in capsula delitescit. Iam, si idem ab illo, quod denuò renouatur, fuerit refertũ, ac denuò in medium prolatũ, scilicet extrà id, sub quo prius delitescebat, imò adhuc delitescit iam, vt res tranquilla prorsus non audiatur à re corporali, & vt solùm aniadum, adech, deniq; & Edochinum resonet. Insuper etiam hæc tria, & quod in hac tria vergit, non quatuor, sed vnum sint, habebis longissimam vitam delitescentem. Hinc est natiuitas magni illius Aequastri, qui præter naturam natus est. Hoc & si id quod intrinsecus erat, nequaquam deprehendere potuit, tamen hîc præbuit occasionem id, quod extrinsecus lliastes fuit.

Aniadus. *Adech.* *Edochinus.* *Aequaster*

De duplici essentia sanitatis & ægritudinis.
Cap. IIII.

RESTAT adhuc in hac monarchia, cuius vos magnus ille homo maximopere commonefacit, videlicet, longè aliam esse vitam ab ea, quam nos plenè præscripsimus: quæ tunc alia nos perstringet, cum singula transibunt, qui

calcat, & qui calcatur, nihilominus tamen vtraq; manebunt, id quod non satis intellexerunt hactenus Aliani. Tum demum erit quando simul omnia desinent, quæ vnà mecum indagastis, iam inde à primo ad nouissimum vsq;. Sed par est, vt semel etiã probemus ea, quæ tractare incepimus, & ea non physica ratione, sed essentia ipsa, quæ vel sola hoc loci, cuius meminimus plurimùm valebit. Hoc loco, quo de plenè loquimur: miraberis forsan ac quæres. Num vita sana posſit esse coniuncta cum vita longa? Respondemus, duplicem esse essentiam, alteri sanitatem & fixam, alterij ægritudinem & similiter fixam inesse. Quod autem ad locum & immutationes istorum attinet, nihil prorsus immutamus. Porrò, quorsum attinet frustrà his immorari, quæ nobis lumen naturæ recusauit. Præterea ille, qui animi libidine nobiscum agit, indicat, ac rursus hiantes nos deserit. Quare hoc loco præteribimus quæ vires nostras superant, & creaturas aliquot, vitæ mirabiliter longæ, & eas sine fato, commemorare incipiemus, inter quos sunt Laureus, Sico-

Aliani.

Duplex essentia sanitas fixa, ægritudo fixa.

Siconius, Hildonius, & alij plerique, quorum natiuitatem, siue mortem naturalem nemo vnquam neque deprehendit, neque audiuit. Adde naturam & essentiã illarum. & quotumcunque reperias, qui vel apiculum de his scripserit: quanquã paramyrica scripta non nihil de his habeant, tamen veluti senibus hoc fuit ac rursus desijt, ita etiam vnà intellectus abijt. His igitur concludimus, quicquid est vitæ longæ, idque extra Necrolicos, quemadmodũ in sequentibus patebit.

Laureus Siconius Hildonius.

Nicrolici.

Cap. V.

Summa operis mystici.

NOn pili fecerim eum, qui sub Lullianis artibus se falsò, vt Necroliũ venditat, & improbat id, quòd in quatuor scaiolis comprehẽditur, & me vt summum scaiolam prædicat, ita vt pro ratione Cedurinorum possim adoriri necrolias artes: at ago vel Hydros scaiolis vnà cum æmulis inuideo. Quid dicam hoc loco de his quæ Musa sagax in canonibus suis vnà cum manticis quatuor scaiolarum complectitur. quæ vobiscum indormiscunt tympa-

Scaiolæ quatuor.

Cedurini.

nacq́ in nobis anodinica reddunt. Et e-
go vos etiam atq; etiam in tantum stu-
porem adduco, vt in notitiam papaue-
ris redigamini: sed missa facio illa, & in
hoc solùm laborabo, quod in superio-
ribus libris hactenus moui, in Cosmo-
Cosmographica vita. graphica scilicet vita, vbi cùm locus tũ
Iesihac. corpus Iesihach apparent. Porrò etiam
quæ præscribo, præter loci ac corporis
vires idq́ spagyricè præscribo, hydro-
manticè, & pyrothonchus. Sed quid at-
tinet hæc commemorare vobis omni-
bus, quorum ne nomina quidem noui,
qui etsi necrolias agitis, & in cyphanto
nonnihil experti, tamen indormiscunt
pulsatiles. Hæc omnia ego absolui. ea
quisquis intelligit, optimo iure se spa-
gyri nomine venditet, ac tum demum
V. caput. quintum caput ediscere laboret, in quo
me plurimùm offendunt Scaiolę. Nam
his nulla inest mortalitas. Sub hæc ergo
concludo totius rei summam, & affir-
al's. Immortalitas. mo eum esse immortalem, quicunque
pro ratione Scaiolarũ vixerit, id quod
Enochdiani. per Enochdianos & sui sequaces pro-
bo. Neq; hunc locum infringet Aequa
ster. Præterea, si pro ratione Necrolio-
rum

rum Scaiolis infererer, esset, quod excipiendum ducerem, id quod maximus ille Adech anteuortit, & propositum nostrum, at non modum deducit, quod vobis Theoricis discutiengum relinquo. Atqui ad hunc modum abijt è Nymphididica natura, interuenientibus scaiolis in aliam transmutationem permansura Melosynæ, si difficilis ille Adech annuisset, qui vtrumque existit, cùm mors tùm vita scaiolarum. Annuit præterea prima tempora, sed ad finem seipsum immutat. Ex quibus colligo supermonica figmenta in Cyphantis aperire fenestram. Sed vt ea figantur, recusat: gesta Melosynes illa cuiusmodi sunt, relinquimus. Verùm ad nostram Nymphididicam. Ea vt in animis nostris concipiatur, atque ita ad annum aniadin immortales perueniamus arripimus dona Veneris, quæ etiamsi vos vnà cum alijs cognoscitis, minimè tamen vsurpatis: idipsum autem absoluimus eò, quod in prioribus capitibus indicauimus, vt hanc vitam securè tandem adsequamur, in qua aniadus do-

Adech.

Melosynæ Adech.

Supermonica figmenta.

Nymphidica.

minatur ac regnat, & cum eo, cui ſine fine aſsiſtimus, permanet. Hæc atque alia arcana, nulla re prorſus indigent, & in hunc modum Vitam longam concluſam relinquimus.

LIBRORUM IIII.
Theophraſti Paracelſi
de Vita longa.

FINIS.

LEO SVAVIVS I. G. P.
Io. Capellę Parisiensi Archiatro Regio Sal.



Ui potius quàm tibi (vir præstantißimè) donabo (cum Catullo) lepidum hunc nouum libellum? lepidum, inquam, vt Theophrasti Pæracelsi opus: nouum, vt meũ scholiorũ modò editorum. Tibi enim tanquã medico eruditißimo, medicinæ liber iure offertur: qui quidem ab Ioanne Fernelio doctißimo viro Archiatro Regio decessore tuo moriente, quum rogaretur quem ex ordine regiorum medicorũ suo gradu locoq́; dignum censeret, velut Socrates Apollinis oraculo, sic illius sententia dignißimus successores iudicatus. Tibi etiam vt veteri amico munusculum aliquod debeo, vt hospes hospiti tesseram hospitalem. At quum tu eloquentiam cum philosophia ita coniunxeris, vt te Varronem Gallicum

meritò poßim appellare, non hîc ego te-
cum de intima philoſophia multis diſſe-
ram, nec cum oratore diſerto diuitias o-
rationis expromā. Quid enim agerem?
aut ſanusve eſſem qui hæc te docerem?
Nam etſi non Sus Mineruam, vt aiunt,
tamen ineptè quiſquis Mineruam do-
cet. Tantum per te liceat de vetere tua
conſuetudine gloriari, cuius præſentem
dignitatem ex medicis atq; mathemati-
cis colloquijs, quum Arduæ cum Anni
bale maris præfecto legato Regio pro pa-
cis cōditionibus tractandis vnà eſſemus,
iam ſpe atq; opinione præſagiebam. Phi-
loſophiam verò abſtruſam quam hîc Pa
racelſus noſter euoluit an inuoluit, nemi
nem arbitror præter te medicorum æta-
tis noſtræ, (Honoratum Caſtellanum col-
legam tuum libenter excipiam) vel ſuſpi
cione ſolummodò attigiſſe. De qua ego ſæ
penumerò cum illo ſapientiſsimo Ferne-
lio quandoq; tecum diſſerui, non de ea
quæ

quæ vel edictis legum vel bonorum virorum suspicione vlla perstringatur: sed ea, quæ sacrosanctam priscorum philosophorum vatumq́ sapientiam à prophana multitudine alienam mysticis verborum inuolucris complectatur. At mihi onus hîc incumberet satisfaciendi doctißimæ tuæ aduersus Paracelsi opera disputationi, quam mecum coràm subtilißimo collega Honorato & Ambrosio Pareo Archichirurgo in ædibus Leonardi Botalli Astensis insignis medici pariter regij, animi gratia instituisti: quum ille nos ad Comediæ Italicæ voluptatem liberali atque opipara cœna exciperet. Tu enim magna ratione contrà me contendebas, non videri Paracelsum ex arte & methodo, medicinæ artem tractare, imò confusè, sparsim absq́ ordine multa congerere. Artis enim esse (vt Cicero de iurisprudentia scripsit) summa genera rerum velut à capite arcessere: ea deinde tanquã

in membra ſingula partiri, partes tandem ipſas ſuis quaſque diffinitionibus circumſcribere: aut ex Arabum officina, cauſas antecedentes, primitiuasq́ perſequi, earúmque effectus, demum ſigna morborum earúmque curas: nullam ex iis videri Paracelſum veram diſciplinæ formulam compoſuiſſe plenam quidem ac refertam. Verum Galenum ipſum fatebor dialecticum ſubtilem fuiſſe, ſed velut Aſianum oratorem ſcripturiendi quadam libidine multis egiſſe, Theophraſti noſtri more, quæ paucis poterant comprehendi. Fuerit illud vtriuſque vitium: verùm vt Galenus in vſu partium corporis humani mihi admirabilis videtur, non minorem Paracelſus in calculi tractatu videtur laudem ſermonis inſtituti logicè conſecutus. Relinquamus vocabulorum Tartari, Ilech, Aniadi, ſimiliũq́ in eo affectationem: exultat enim humanus animus quodam furore delectationis

tionis in pulchrè inuentis:

Et linguæ cor laxat habenas. „

Philosophorum chymicorum verba nulla sunt publica, suis vtuntur. Dandum autem est profecto illi, quod alijs metallicis scriptoribus à quibus hæc iamdiu tractantur, vt in rebus inusitatis (quippe quæ ab artis opere nascuntur) vtatur ipse verbis interdum non auditis. Nihil verò in nobis perfecti esse potest: laudemus quæ bona sunt, quæ mala, humaniter excusemus. Scribebat Paracelsus suis Germanis, velut Lucilius poeta suis Siculis & Tarentinis: ad rudia eorum ingenia stylum accommodauit. Nec dubito Capella sapientißime, si omnes, saltem complures illius libros legisses, quin aliā de scriptis hominis opinionē fuisses cōcepturus. Legi ego partim, partim audiui ex Germanorū interpretatione plurima illius opera, quorū indicē præbui in præfatione libri de Vita longa: allati sunt nudiuster

tius ad me alij eius libri Germanici, quos pariter in fine huiusce opusculi recensebo. Expecto alios quoque à Nabot viro mathematicæ disciplinæ peritissimo, ac Theophrasticæ studiosissimo. Confero ego quæ possum vt vsus artis maximæ optimus in communem hominum vtilitatem elucescat. Suadebant autem quidam viri minimè mali, iudicio tamen meo parum prudentes, vt hunc libellum qui aduersus medicos conscriptus videbatur, alij quàm medico offerrem, consecrarem, ne minus tibi gratus esset quòd vulgarem theoriam ac praxim medicam reprehenderet. Quis verò te melius delectum in rebus medicis faciet? quis omniũ ea quæ à Paracelso in emolumentum salutis humanæ trahenda erant, doctius iudicabit? At mihi absurdum videtur, quod plerique hodiè aduersus Paracelsi scripta factitant, rem veram aut incognitam damnare: vt coràm te de arca

no

no corallino, alcali ſpirituum, mummia alcaligata in cura Podagræ diſſerui: in quibus turpe duco cognitioni & perceptioni aſſertionem reprehenſionemq́ præcurrere. Quinam verò ex omni antiquitate Socrati, Democrito, Empedocli ingenio atq; iudicio præſtiterunt? quibus cum Hippocrate tuo, vita breuis viſa eſt, ars longa, experimentum fallax: ſcilicet ob anguſtos ſenſus, imbecillos animos, & veritatem rerum in profundo demerſam, aut tenebris vndique circunfuſam. A ſapientibus autem qui contrariis in partibus momenta rationum paria poſſunt ponderare, aſſertio libentius ſuſtinetur, ne contrà prudentis officium incognita pro cognitis habeant, iisq́; temerè aſſentiantur. Poſtrema eſt mei facti ratio, cur tibi potius quàm alteri cuiquam iſtud opus do, dico, addico: quòd vnus exiſtis in aula morum corruptrice & deprauatrice, qui cum ingeniis conflictaris huiuſmo

di, neq; animus ab officio tamen immutatur aut flectitur, vt solus philosophos ames, foueas, iuuesq́;, illosq́; in deterrima labyrintho implicatos omni beneuolentiæ genere prosequaris. In qua si mihi aliquam operam præstare, & si me, vt Cicero pro Trebatio amico ad Cæsarem scribebat, quibusdam gloriolæ à Rege insignibus ornare volueris, non recusabo: si tamen rem tibi gratam fecisse hoc opusculo sensero, fecisse mihi operæpretium videbor. Bene vale Lutetiæ Parisiorum. Kal. Iulij Anno 1567.

LEO SVAVIVS I. G. P. LECTORI.

ALlati ſunt ad me nudiuſtertius, lector, libri nõnulli Th. Paracelſi, quos vobis, vt in præfatione Compendij quamplurimos, viſum eſt hìc quoq; recenſere.

Philoſophiæ magnæ tractatus multi, videlicet.

De vera influentia rerum.
De inuentione artium.
De tempore laboris & requiei.
De vtraq; fortuna.
De ſanguine vltra mortem.
De lunaticis.
De generatione ſtultorũm.
De Nymphis, Pygmeis, Salamandris.
De animalibu ex Sodomia natis.
Opus Aſtronomiæ mundi.
De Metheoris.
De matrice.
Libri IIII. Paramyri.
Paragranum.

Item volumen aliud, continens plures tractatus.

De Phyſionomia.
De Therebintinà.
De vtroq; Helleboro.
De caſu matricis.
De ligno Gaiaco.
Commentarij in Aliquot Aphoriſmos Hippocratis.

LEONIS SVAVII I. G. P. In sua Scholia.

De duabus editionibus lib. de vita longa.



Vum libellum hunc Theophrasti Paracelsi de vita longa Adamus à Bodenstein duplici præfatione exornauerit, vtrâq; prolixißima: mirabitur fortasse lector cur prætermitti in hac editione iusserim, nostramq́; hanc in locum illarum tanquam demortuarum suffecerim. Priorem attexuit libello edito anno M. D. LX. eo quidem puro puto de qua nos in Compendio nostro iam disseruimus. Posterior assuta est eidem libello typis excuso anno 1562. si eundem dicere fas est secundum Alphenum Iurisconsultum, cuius tanquam nauis, carina ipsa præcipuæ quæ partes sunt immmutata adeò vt pristinam formam amiserit, vel si mauis nouam induerit. Consumpsit totam istam præfationem Adamus (vir alioquin bonarum literarum haud expers) in disceptationibus philosophiæ Aristotelicæ peruulgatis, nulla prorsus expositione interiecta vel sentētiarum vel verborum Paracelsi difficillimorum. Pudeat deinceps tam verbosis ineptijs Adame lectorē à Theophrasti ipsius lectione retardare: ad cuius conceptiones nullam viam sternas, nihil obscuritatis explices, quo tandem aliquis fructus ex tanta loquacitate percipi poßit. Hæc proba sunt (inquies) tria esse Paracelso principia quæ spectātur in dissolutione rerum naturalium, vt nos ligni exemplo in compendio iam ostendimus, vnde constet ea fuisse in cōstructione: sed

Alphenus.

Aristotelis

Aristotelis materia, forma, priuatio, non item: vt naturæ primordia non esse appareat, sed subtilis ingenij somnia: quæ idcircò ab infinitis alijs philosophis (vt ex Diogene Laertio manifestum est) in controuersiã haud temerè reuocãtur: vt taceamus tanquam Christianæ sapientiæ circa æternitatem rerum contraria, esse explodenda. Addit, sed quod etiam ex Theophrasti nostri scriptis, vt axioma illud principiorum, perspicuum est, Elementa non esse corpora simplicia sed matrices ortas ex tribus primis. Hæc quidem sunt, clarissima, nec quæ vllum iter patefaciant ad Paracelsi mentem eruendam: licet (vt subinde ipse admonuit) non tam oculos lectioni oporteat quàm operi in his intelligẽdis manus admoliri. Spagyricorum (inquit) vocabulorum cognitio ab opere non scripto expiscanda est. Libris autem his quatuor de vita longa, inseruit quartum vnum velut suppositium parum, quarto verò atq; legitimo in quintum numerum vi quadam eiecto & iniustè de sua possessione deturbato: in reliquis libris facta quorundam verborum vel syllabarum immutatione penè ridicula vt opus vænalius prostaret, quod nouum hac parte incrementi emptori esse videretur (Magnæ enim sunt hodie ditesq; librorum in Germania nudinæ) Adamum medicum non puduisse quartum istum librum nugis inanibus scatentem obtrudere, qui nec seriè rerum vlla cum reliquis cohæreat, nec sententiarum Paracelsi subtilitatem, nec dictionis grauitatem redoleat. Miror (inquam) illum lucri vel gloriolæ spe adeò fauisse Typographi imposturæ, qui more propolarum rei suffura-

Diogenes Laertius.

Paracelsus lib. de Gradibus de cognitione vocabulorum artis.

De iiij. lib. quodam de vita longa suppositi- tio.

tæ nouam dissuendo speciem induunt furti tegendi gratia. Non est verisimile ex ore docentis ita fuisse exceptum quòd paraphrasis amplior foret: verba sunt tantùm quædam pueriliter ineptéq; commutata vt lectori ea conferenti constabit. Cur non aliquas interdum difficultates publicè explicat omnibus, mysterijs solùm suppressis) quas vni tantùm pollicetur? nempe, quod sit illud duplex in uno homine corpus, quorum vnum etiam (vt ait cap. vi. lib. 1.) inuisibile homini, quid hæc vita, quid mors, quid vita mortalis, quid immortalis. Desine tandem fumos venditare, & incipe de re agere subtilius vt te) Ciceronis verbis de Demetrio Phalereo) Theophrasti non Atheniensis illius, sed Germani huius discipulum poßimus agnoscere. Quis te ipsum germanum hominem, Asianum oratorem suspicatus esset? Quorsum illa pauca, memorata de tribus primis, de Laudano, de Antimonio quæ vnusquisque in autore ipso legere potest: quin ea potius attingis & enucleas, quorum ope quæ sunt in eo recondita & occulta lector poßit intelligere. Quod siquis suscipere vellet aduersus te Aristotelis defensionem de tribus principijs, quid tandem respondeas? Nónne philosophi omnes Spagyrici materiam constituêre & formam, quorum instituta & præcepta Paracelsus noster est palàm insecutus? Nónne confeßi sunt omnes, vetere formâ sublatâ nouam protinus induci, vbi inclusa est tacitè priuationis neceßitas? Nónne hoc ipso libro approbat elementa quatuor, & ex eorum temperamento quintam essentiam? At quæ videtur alijs in libris immutare, in

Corpus duplex in vno homine.

Cicero.

De materia forma & priuatione.

alium

alium sensum detorquet, quam tute mentis illius & cogitationis expers, opineris. Non omittam quod in Compendio de accidente secundum Paracelsum perstrinximus: non esse quidem capiendum ex peripatetica disciplina, sed potius ex Platonica vel academica, cui, omnis forma quæ inest materiæ magis accedere videtur ad naturam accidentis quàm veræ substantiæ: eámque melius dici fieri quàm esse. Arnaldus item Villanouanus in paraphrasi Rosarij explicat tincturam esse accidens, quod aduenit materiæ caducæ: ex quibus forma spagyrica resultat. Possunt autem lector in his mysticis libris quædam impunè propalari ad odorem rei arcanæ velut frictione aut calore quodam excitandum, quamuis arcana præcepta detegi palàm nefas sit. Ideò Sphinx statuebatur olim ab Aegyptijs pro foribus templorum, vt mysteriorum celandorum admoneremur. Ideò ferrum (videlicet forium & serarum Hebræi dixerunt symbolum esse sapientum, & inde Græci Pallada fingi armigeram. Dionysius etiam Areopagita mysteria censuit scripto tegenda, voce recludenda. Ideò Expositores Zoroastis Chaldæi, sicut ipse, ægnimaticè loquuntur. Plato verè diuinus de supremis substantijs Dioni scripsit sub ænigmate. Sic Pythagoras pauca tantùm quædam scripta Damæ filiæ moriens commendauit. Sic qui ex nouissimis philosophis sapientiam occultam olfecerunt Alchindus Arabs, Rogerius Bacho Anglus, & Gulielmus Parisiensis filijs tantùm doctrinæ scripserunt. At multi Herculis more, vt ait Plutarchus, irrumpunt in sa-

Accidens Paracelsi.

Mysteria cœlanda.

Pallas cur armigera.

Plato.

Alchindus Rog. Bach. Gul. Parisiensis.

cra furiosè. Sic nostris propè temporibus scripsit Ioannes Tritemius Germanus Polygraphiam, licet clauibus quiquſdam aperire simulauerit, quæ tamen paucis aditum præbent ad mysteria: Sic idem Steganographiam (opus vt ipse profiteri audet mirandum & laboriosum) quæ occultam scripturam significat, vir recondita eruditione insignis vt eius monumenta testificantur: quemquidem Paracelsus noster lib. Chirurgiæ minoris doctorem philosophiæ libenter agnoscit: quem nuper etiam Cornelius Agrippa velut parentem venerabatur: Ad quem idem Imperator De quæstionibus arduis retulit quæ hodie extant 8. doctrinæ omnis plenißimæ. Quo magis miror Carolum Bouillum: eumq́; secutum Ioannem Vuierum lib. de Præstigijs dæmonum tanto furore in hominem integerrimæ vitæ, eruditionisq; summæ esse debacchatos: quòd scriptum simplex spectarent, in sententiam occultam mentis acie minimè penetrarent. Hæc Bouillus epistola ad Germanum Ganaium Regis Consiliarium. Ad Tritemium diuerti, quem reperi magum nulla philosophiæ parte insignem. Eius Steganographiam euolui velitatim, nonnullorum capitũ perlegens initia, vix horas duas librum in manibus habui, abieci eum ilico, quòd terrere cœperãt me tan tæ adiurationes, ac tam barbara atq; insoleta spirituum (ne fortè dicam dæmonum) nomina, vniuersa verò huiuſmodi nomina, quoad videre visus sum, ignota linguæ sunt. Aut enim Arabica, aut Hebraica, aut Caldaica, aut Græca: Latina pauca aut fermè nulla. Innumeri autem sunt characteres, quibus adiurationes

Tritemij Polygraphia & Steganographia. 8. ad Maximilianum Cæsarem libris vt in Pinace legitur.

Ioan. Vuierus de prestigijs dæmonum.

Car. Bouillus ad Germa. Ganaiũ contra Steganograp.

nes singulæ notantur: Angelus Dei secet eum medium &c. Cui Tritemius respondet in præfatione libri Polygraphiæ ad Maximilianum Imperatorem. Venit ad me hospitij gratia Carolus Bouillus natione Picardus, quem quum omni humanitate tractauissem bibliothecam etiam aperui, & inter alios libros, opus etiam Steganographiæ communicaui necdum eo tempore consummatum. Vidit Bouillus & obiter legit, se inuentum mirari dixit, laudauitque, nec quo intelligeretur modo, curauit. Vnde quum non peteret intelligentiæ clauem, nihil eorum quæ nostra lucubratione continebantur meruit audire vel percipere. Reuersus in Galliam pro beneficijs malefacta rependens Steganographiæ non intellectæ occasione, me magum & Necromanticum falsò esse ad Ganayum scripsit, Ideò manet hactenus opus Steganographiæ in tenebris sepultum: ne causam videar pluribus dare similibus similia de me suspicandi. Malo enim inuenta mira perpetuo damnare silentio, quàm Necromanticæ superstitionis notam falsa licet hominum æstimatione, incurrere. Scripsit quoque Tritemius Apologeticon nominatim de hac re aduersus Bouillum istum, seu potius bouem maximum ea quæ nō intellexit, calumniantem, vt in indice Ioann. Durallusij lucubrationum illius reperio: quod, quia iam nō extat, aliud me debere sanctißimæ tanti viri memoriæ literarum nomine existimaui. Ne qui fortè hisce calumnijs deterriti ab optimorum librorum lectione tanquam ab Vlpiano improbata abhorreant, si in eorum manus inciderint. Reperi ego tres huius Ste-

Ioan. Tritemius ad Maximil. Imperatorem Contra Bouillum.

Apologia Leonis Suauij pro Tritemio aduersus Bouillum.

ganographiæ libros, tertium tamen imperfectum, quemadmodum se reliquisse inchoatum scripsit ipse ad Boscium amicũ. Nescio an vir doctissimus D. Henricus Memmius libellorum supplicum in regia magister plures habeat: quem fama est conquisitis vndiq; optimis quibusus in omni disciplinarum genere libris insignem bibliothecam instruere atq; adornare: magnificum sanè opus, exemploq; Ptolemæi Philadelphi regium: cuius memoria nulla temporũ vetustate exoleuit. Sed vt ad Tritemiũ redeam, præfatus est ipse in Steganographiam suam his verbis: Antiquissimos sapientes, si qua vel naturæ vel artis arcana reperissent ne in prauorum hominum notitiam deuenirent, varijs modis ac figuris occultasse, eruditissimorum opinio est. Mosem quoq; Israeliticæ gentis famosissimum ducem in descriptione creationis cœli & terræ ineffabilia mysteria verbis operuisse simplicibus, doctiores quidem Iudæorum affirmant. D. etiam Hieronymus tot penè in Apocalypsi D. Ioannis mysteria latere dicit, quot verba. Græcorum philosophos & poetas nõ paruæ apud suos existimationis prætereo, qui fabulis conscribendis operam nauantes aliud imperitis atque aliud eruditis hominibus vnius narrationis serie sagaci inuentione tradiderunt. Hos ego, &c. Idem epistola ad Boscium scribit: verba esse ibi plana, lucida, sine omni literarum aut vocabulorum transpositione, ita vt omnes legant & intelligant: secretum tamen illius qualecunque erit, manere ignotum. Idem in Claui ad lib. II. Polygraphiæ suæ: In Steganographia non dictio literam vt hîc, sed quæq; aliam integram ad mysterium

Memmij Bibliotheca.

Io. Tritem. in præfatione Stegan. de priscorũ parabolis.

rium conuenientem repreſentat dictionem: cuius ibi ponit exemplum ſententiæ cordis velatæ ſub Steganographiæ limitibus duplici ratione: addens, per eam penè infinitis narrationibus, non vna aut duabus, doceri abſcondendi modum. Vbiq; profitetur ſe nihil impium, nihil pharmaceutricum, nihil religioni christianæ aduerſarium tractare, omnia eſſe recta, ſyncera, eaq; à cauſis naturalibus emanare. Lib. II. damnat ſpiritus nefarios qui homines tranſuerſos rapiunt in ſcelera & flagitia: dicit Aſtronomiæ cognitionem requiri & doctorem pium & ſyncerum. Damnat in quæſtionibus ad Imperatorem artes necromanticas, & libro ad Ioachimum Marchionem Brandeburgenſem de prænotionibus chriſtiano licitis & illicitis. Itē alio contra maleficos & omnes artes et ſuperſtitiones à religione damnatas. Vt verò ad Bouilli culumnias reuertar, animaduertamus pauliſper eius mendacia atq; ineptias. Euoluit, ait, velitatim nonnullorum capitum perlegens initia. An Bos optime libri abſtruſi ſunt velitatim euoluendi? an ex initijs capitum ſententia de vniuerſa traditione ferenda eſt, nec eſt inciuile (vt apud Iuriſconſultos) non tota lege perſpecta iudicare? Vix duas horas librum in manibus habui. Tres libri quos habeo vix biduò aut triduò legi poſſunt, quo pacto horarum duarum ſpatio perpendi atque intelligi? ſpirituum, (ne fortè dicam dæmonum) Audiſti lector ex ſuperioribus Tritemij dictis quantum abhorreat à ſpiritibus prauis ac nefarijs. cur ergò, adijcit iſte dæmonum? Ignorat bos dæmonas bonos dici æquè ac malos, ſicut ex Iuriconſulto:

Summe methodus Steganog.

Contra magiam nefariam.

Qui venenum dicit, adijcere debet bonum an malum: idem de Pharmaco: sic eudæmones dicuntur qui boni, cacodæmones qui mali sunt. Si verò de malis bestia mala sensit, cur forte, adiecit, quæ ambigendi
,, vox est, quum paulo pòst dicat, angelus Dei malus eũ
,, secet medium, dissoluatq; fœdus iniquum quod cum
,, nocentibus angelis inijsse ac sanxisse palàm ex ipso opere declaratur. Addit verò etiam quod dignum sit animaduersione, si castigationem, lector, intelligas. Porrò, si rite memini, hunc ipsum in Steganographia illa ordinem seruat. Non expendam hîc inscitiam sermonis, quum ego non ritè sed rectè meminerim à quodam Grammatico Ciceroniano traditum, Porrò, non melius præfigi initio periodi, quàm autem, enim, &c. Prætermittamus hos pueriles in deliro sene velut re-
,, puerascente errores, veniamus ad rem: Si est Orientis
,, princeps, versus ad Orientem literas in eam cœli pla-
,, gam patentes expandit, & paulo pòst, spectansq; in
,, auroram profert, quæ ritè prolata, &c. hîc prodigium notemus: Bos locutus est sicut Iulius Obsequẽs de prodigijs scripsit Romæ quandoq; accidisse: ritè prolata, dixit rectissimè scilicet. cum ritu & ceremonia magica, quemadmodum Marsilius Ficinus de spiritu auri, qui si ritè secernatur secretusq; conseruetur: maxima enim vis operis duplicis in his verbis consistit. Sed fœlicius (vt nostri loquuntur) quàm prudentius vox hæc Boui excidit, quam tamen ineptè paulo antè vsurpauerat: si ritè memini. Rem verò iam (omissis ver-
,, bis) tractemus Bouille: non spectare in auroram diceres, si diligentius verba Tritemij perpendisses in ipso

Iulius Obsequens.

Marsilius Ficinus.

capite

capite primo: sic tu ridiculè in limine impegisti. Scribit enim ille orientem hîc velim intelligi, non vbi sol quolibet die oritur, sed eum locũ vbi à principio creatus fuit: quem æquinoctialem appellamus. Præteribã ignotæ linguæ vocabula ab eo dici inserta adiurationibus Tritemij. Aut enim (ait) Arabica sunt, aut Hebræa, aut Chaldaica, aut Græca: Latina pauca aut fermè nulla. Age bos, hîc fige lassum pedem, aratro aptior tu quàm stylo, ignotæ mihi linguæ, dicere debuisti, qui prorsus elinguis es. Nam linguæ illæ multis sunt notæ, ignorabilia verba dicebat Apuleius: solam tibi Latinam excepisti, in qua tam fœdè paulo antè lapsus es: sed in ijs quæ de ea dixisti fœdius multò ac turpius mentitus: quam dicis, pauca aut fermè nulla. Nam sicut in superioribus ignarum te prodis dialecticæ in conceptione πρός τι, *id est simplici; vel relatiuæ enuntiatione, sic, quamuis in propositione disiunctiua satis sit alterutram partem veram esse, hinc non potes te facile extricare: nam vel aliqua insunt Latina vocabula Tritemij formulis adiutorijs, vel prorsus nulla. Sic ego tecum syllogismo contra disiunctiuum tuum enuntiatum certabo, fermè nulla: ineptus sermo est, vox enim, nulla, diminutionem non admittit. Nulla enim prorsus quum insint, nec pauca sunt, nec fermè nulla, vt perlegenti libros tres Steganographiæ perspicuum erit. Nunc ad te venio Vuiere qui Bouem secutus ducem, non potuisti non aberrare à via, & cœco cœcum ducente, vterq; in foueam decidistis. sic exemplo Ouidiano:*

Aduersus Vuierum.

Visa est mihi digna relatu

Pompa: senem potum, pota trahebat anus.
" Hactenus (Vuierus ait) Bouillus: quem licet menda-
" cij & impietatis accuset Tritemius, se purgans: res ta
" men ipsa secus docebit, si quis Steganographiæ libros
" accuratè legerit: quorū partem scriptam cum figuris
" & spirituum nominibus apud Henricum Agrippam
Henricus Agrippa. fœlicis memoriæ, ego ipse olim legi, atq; eo inscio ex-
" scripsi. Si damnas Vuiere magiam in Tritemio qui
" negat eam se tractare nisi ænigmatis stylo, qua fronte
potes in Agrippa probare qui ex professo tribus de oc-
culta philosophia libris explicauit? cur eius fœlix me
moria, Tritemij, execrabilis? At paulò ante nobis con
stat assentationis tuæ ratio in libris magicis quos cū
Vlpiano corrumpendos memoras: inter quos quar-
tum quendam recenses additum Agrippæ tribus, &
" falsò tributum (vt ais) Henrico Cornelio Agrippæ tuo
" olim hospiti & præceptori honorando, circiter annos
" xxvij. iam mortuo, vt hinc falsò manibus eius iam in
" scribi speres: putes, dicere voluisti. Dic quæso (Vuiere)
" quo ore crimineris Tritemium illum, quem tuus ho-
" spes & præceptor tantopere laudat, vt æstimationem
operis sui omnem ab illius iudicio aut testimonio au-
cupetur? de te vetus illud scitè vsurpari hîc potest: nō
est discipulus supra magistrum. Audi quanti Agrippa
Cornelij Agrippę de Tritemio testimoniū faciat Tritemium: in præfatione: Fateor, iuuenis ad-
modum hos libros scribere aggressus sum, spe tamen il
los aliquando correctiores locupletioresq; emissurus,
atque ea causa Ioanni Tritemio viro arcanarum re-
rum admodum industrio primùm illos obtuli corri-
gendos. Idem in epistola dicatoria: Nunquam in hanc
are-

arenam restituendæ Magiæ descendere hactenus ausus fui, verùm post collatum inter nos de his rebus sermonem, tua præcellens peritia & doctrina, tuaq; ardens adhortatio audaciam mihi animumq; addidit. Hos libros nunc tuo examini, qui harum rerum plenißimam peritiam tenes, castigandos, censendos, iudicandosq; submitto, vt si quid in illis à me scriptum sit, quod aut in naturæ contumeliam aut cœlitum offensam religionisve iniuriam vergere queat, condamnes errorem: sin autem dissoluta & purgata sint impietatis scandala, veritatis traditionem tuearis: sicqúe cum his libris nostris atque cum ipsa magia agere velis, ne occultetur aliquid quod prodesse queat, nec probetur quod poßit non nisi nocere: quo sic tandem libri isti tuo examine probati, digni sint qui aliquando fœlicibus auspicijs in publicum egrediātur, nec timeant iudicium subire posteritatis. Vale & his audacibus parcito cœptis. Hæc ego lector latius transcripsi, vt iudicium audires Agrippæ de Tritemio, vt magiæ nomen quod mox à Paracelso nostro vsurpabitur, adhuc auribus nostris durum, vsus aliorum tibi molliret. De quo Marsilium Eicinum suo etiam loco audiemus. At quo velùt extremis telis Bouillum istum confodiamus, accipe Tritemij eum tacitè perstringentis responsum ad Aggrippam. *Ne te retrahat à proposito quorumcunque consideratio nebulonum, de quibus verè dictum est: Bos lassus fortiter figit pedem. Te autem diuinitas ingenio donauit amplo & sublimi: non ergò boues imiteris, sed volucres. Vnum hoc tamen te monemus cu-*

Tritemij ad Agrippā consiliū de cautione secretorum.

ſtodire præceptum, vt vulgaria vulgaribus, altiora verò & arcana altioribus & ſecretis tantùm communices amicis. Da fœnum boui ſacrarum pſitaco: intellige mentem, ne boum calcibus, vt pleriſq; contigit, ſubijciaris. Animaduerte lector Tritemium nõ inopia ſed de induſtria in hac bubula ſimilitudine perſtitiſſe, vt aculeo Bouillum iſtum ſuum pungeret, à quo fuerat ab editione operis ſui, paris argumenti retardatus. Cuius verba libenter adieci, vt cautionem tibi myſteriorum cœlandorum exemplo libri huiuſce Paracelſi noſtri, parabolici atq; enigmatici ſemper inculcarem. Nec verò inuidus medicus Vuierus à Theophraſti etiam ipſius fama violanda nominatim maledictis temperauit, vt ſuſceptum ab eo bellum aduerſus doctiſſimum quenque oſtentationis ergò fuiſſe videatur: qui ſuo poſtea loco in ſcholijs proximis inſalutatus non abibit. Poſtremum nobis certamen eſt ſuſtinendum ab Hieronymo Cardano (ſubtile dices ac varium) ab autore ſubtilitatis ac varietatis, imò futile ac vanum, niſi varium è Columella de lupo vario, maculoſum intelligas. Fuit (inquit) vir paulo antè noſtram ætatem mendacior Agrippa, inanior Raymundo Lullio, Ioannes Tritemius, qui totum librum ſatis grandem hoc vno ſcriptitandi ſolo ſomnio impleuit nec tamen expleuit: Et vt fidem fabulæ faceret, finxit ſe necromantiæ, quum potius ſtultitiæ deberet, accuſatum: Impudens certè ſycophanta ſi quis vnquam mortalium. Et paulò poſt, in Tritemij ſtultiſſimam inuentionem, demiror virum egregium ſcripſiſſe, expoſitionem. Sentis (lector) ineptiſſimi homuncionis in

Aduerſus Hier. Cardani Calũnias.

virum

virum tantum maledicentiam: cuius scripta fatetur stolidus. ab egregio viro commentarijs illustrata. Est etiam Polygraphia nuper à Collangio in Gallicam linguam versa, regiq́; Gallorum consecrata. Nen est iste dignus ira Cæsaris (vt aiunt) nisi Scaligeri Cæsaris qui styli vulneribus nugas eius procidit. Hoc tantùm addam: Tu verò doctor subtilis eruisti in Polygraphiæ reductionem tryadis in nonadem per dyadem? Tu ne in Steganographia euoluisti & intellexisti quæ latebant abdita? Sic in Agrippam in Natiuitatibus tuis: sic in Artephium in Vanitatibus temerè inueheris, & canum more ignotis adlatras. His itaq; calumnijs cõfutatis, & à capitibus summorum philosophorum in imperitissimos atq; impudentissimos hostes literarũ, detortis: solida mihi videntur iacta fundamenta disciplinæ Paracelsi, in confirmatione institutorum Tritemij. quem præceptorem agnoscit, cuiusq́; more abstrusa naturæ rerum miracula medicus sub humanæ vitæ prætextu, sicut Tritemius, velut Magus sub spirituum euocatione obumbrauit.

I. G. P.

NATVRA DVCE
COMITE INDVSTRIA.

LEONIS SVAVII I.G.P. IN LIBROS QVATVOR PH. Theoph. Paracelsi de Vita longa SCHOLIA.

IN CAP. I. LIB. I.



Xcipe iam lector à me cogitationes meas in rebus arduis atq; abstrusis, quas literis mando absque fuco ornatuque sermonis: in quo non esse immorandum censuit diuinus Plato, ne à vera rerum tractatione auocemur: quas inquam mando literis Platonico etiam more, qui in ijs rebus semper ænigmaticus extitit: vt ex illius scriptis, & Plotini sui cõmentariis cum Marsilii Ficini interpretatione constat. Qui hunc scribendi ritum arguet, Platonis diuinitatem insimulabit: & libros qui Pselli ænigmata, qui Thoreumaticæ artis ænigmata, inscribunt. Tractat itaq; Paracelsus noster lib. I. cap. I. quid sit vita, quæ mortalis, quę immortalis: quid sit mors, quid ægritudo, quid physicum corpus? Physicum corpus partitur in partes interiores & exteriores, de quibus Galenus doctisime libro de Vsu partiũ: quamuis Vesalius aliiq; cõplures aliquid ab illo prætermissum, à seq; supplendum perhibeant. Dies natalis coniungit vitam mortalẽ cum immortali. Mors est dissolutio huius coniunctionis. Morbus est huius mali fons & origo. Hæc sunt plana & clara si scriptum solummodò

Plotini. *Psellius.* *Corpus physicum.* *Galenus.*

modò ſpectemus: valdè obſcura, ſi ſententiam indagemus. In his enim conſiſtit fundamentũ omnis inſequentis inſtitutionis philoſophicę: quum hîc iam attingat coniunctionem rerum naturalium & earum quæ præter naturã ſunt. Statuamus ergo cum Paracelſo diligenter ab antiquis medicis Hippocrate, Galeno & cæteris eſſe conſultum vitæ mortali: vnde ſuam ipſe vim Theophraſtus noſter in vitæ immortalis traditione effundet. Quidam interpretes admodum ſubtiles quum hæc trahunt ad terreæ naturæ deſcriptionem (vt Picus in Heptaplo ſeptiformem expoſitionem deducit Moſaici ſermonis Geneſis mundi ingenti oſtentatione, pauco fructu. Vitam in mineralibus tribuunt argento, quod ideo viuum dicitur, mortalem Mercurio qui elicitur ex corporibus imperfectis & impuris, immortalem illi qui ex corporibus perfectis & puris. (de quibus mox cap. III.) quæ à Spagyris Sol & Luna dicuntur. Mortem eſſe exiſtimant congelationem huius vitæ à Sulphure. Nomen autẽ corporis phyſici, innuit tacitè alterum ab eo corpus intelligi, non phyſicum vel naturale vel mortale: quod nuncupat cœleſte, ſupernaturale, præterq; naturam: quæ Synonima habeto. Tantùm huc addam ex Plutarchi myſteriis ad huiuſce mortis mentionem. Tinctores ferunt interire eos colores qui coniunguntur & miſcentur, & eiuſmodi permixtionem vocant interitum. Deinde Phœbum aiunt in ſacris interpollatum ſæpiusq; mutatũ ignẽ à

Picus in Heptaplo.

ſe emiſſe, crebris inuulſionibus (vt ferunt) diſſolutum, &c, Hîc itaq; nota interitum vel mortem ænigmaticam, nota coniunctionem pariter ac diſſolutionem. Poſſet etiam hæc fieri interpretatio vt vita ſit humor vitalis ſeu radicalis in abſtracto ſecundum Porphirium in Iſagoge: in concreto ſit vita mortalis, deinde in corpore perfecto vita longa, in imperfecto breuis.

IN CAP. II.

HIc tractatur de duobus corporibus, quæ in Compendio perſtrinximus eſſe in vno homine: de quibus quàm bellè Adamus à Bodenſtein in fine ſecundæ ſuæ præfationis in libros V. de Vita longa. Vale (inquit) cum tuis corporibus duobus, ſpiritu vno. Corpus phyſicum hîc vides etiam mortale dici, aliud illi immortale adiungi vel cœlicum, cuius coniunctio vitam adfert, diſſolutio mortē. Diſſolutio autem eſſe nequit abſq; coniunctione præcedente, ſicut aiunt priuationem ſupponere habitum. Sed ad diſputationem ſuperiorē de principijs rerum in noſtra præfatione, memineris priuationem Ariſtoteli principium eſſe intellectuale tantùm, non reale: ſicut in elementorū qualitatibus duabus ſolùm à Paracelſo ſtatutis lib. ſuo de Gradibus, ſcilicet calido & humido, reliquas duas frigidā & ſiccā potius priuationis quàm realis qualitatis rationē ſubire. Diſtinctio autē non ſatis dilucida vtriuſq; corporis parit in hoc capite obſcuritatē

Priuatio. Qualitates claues duæ.

Corpus

Corpus enĩ moritur ſcilicet mortale ſeu phyſicum vel caducũ : at hoc corpus, interueniẽte eo corpore conſeruandum eſt ſcilicet cœlico, quod adiunxit Deus, quo (ne legas quod) interueniente extrinſecus conualeſcit ab eo fit inſtauratio alterius corporis (reſtauratio barbara vox eſt) quod quidem eſt inſtar ligni, & cœlicum inſtar ignis. In quo exiſtimat erraſſe Hipocratem cum reliqua ſecta medicorum qui mortalibus remedijs inſudarunt, ad conſeruationem iſtius phyſici corporis, à quibus longæ vitæ remedia vt à balſamo (ne balſamũ legas) perperam petebant, nempe à creaturis ſeu corporibus phyſicis, in quibus non ineſt fons vitæ, ſed in cœlico illo corpore quod ſubiectum eſt, in quo vita lõga gliſcit. Dixit Paracelſus ipſe lib. iiij. cap. I. rationem theoricá vitæ longæ tractari hoc I. lib. ſicut libris ij. & iij. praxim de vita ſana & integra, ſcilicet de medicinæ parte curatrice morborum. Conſeruatricem autem veram Hippocratem nec attigiſſe nec planè intellexiſſe. Ideò ſcopum ſuum eſſe præcipuum de vita longa præterue naturam diſſerendi, eaq́; hîc docendi quæ à priſcis medicis hactenus intacta atq; ignorata fuerunt. Idcircò titulum de vita longa præſcripſit operi vniuerſo, licet de vita ſana obiter vel per tráſennam diſſerat. Corpuſculum hîc appellat per contemptum, corpus mortale & caducũ: cœleſte verò vide an libenter accipias à Platone de ſpiritu, quem medium conſtituit inter corpus mortale & animam immortale. vt vin-

Quo.

Inſtauratio.

De spiritu metallico culum vtriusq; necessarium mediæ cuiusdam naturæ, de quo scitè Augurellus poeta.

Spiritus hæc inter medicus fit quem neq; corpus
Haud animam dicas, sed eum qui semper utriq;
Participans in idem simul hæc extrema reducat.

De quo (hęc ad mineralia referas cum illo) scribit Marsilius Ficinus. *Marsilius Ficinus.* Inest etiam metallis spiritus & lapidibus, sed latet materiæ mole oppressus: qui si ritè secernatur, secretusq; conseruetur tanquam seminaria virtus, si adhibeatur materiæ sui generis, poterit simile generare: quod Arabes Elixir vocant. *Elixir.* Huc adijciam mysterium ex Zoroastri xvij. aphorismo, *Zoroaster.* per triplex indumentum ex lino, panno, pellibus, triplex intelligi animæ domicilium seu habitaculum, cœleste, spiritale & terrenum. At, de huiusmodi interpretationibus parabolicis non contemnendis ab ijs qui fortè obtutu primo non intelligent. Pici in heptalum epitome autor argumentum traxit à D. Paulo. Qui manducat non manducantem non spernat, & qui non manducat, manducantem non iudicet. Balneare autem hæc mystica verbis haud submergere oportere. At si priores philosophi maiora demessi sunt, mihi tanquam inopi spicilegium reliquerunt.

IN CAP. III.

CAp. hoc iij. est de ratione conseruandi corporis physici ab omni corruptione. Conseruatio fit per instaurationem vt cap. præcedenti ad supplendum

dum defectum corporis. Illa subinde fieri debet, propter corruptionem quæ quotidie accidit. Instauratio est recuperatio deperditi in corpore caduco, ab alio corpore scilicet cœlesti. Hæc ad praxim conseruatricem: cui perperam vulgus medicorum voluit accommodare balsamum peruulgatũ scilicet vel Iudaicũ vel naturalem, vel artificialem à quibusdã inscienter confectum. De quibus nos multa in compendio. Balsami autem natura huiusce tãtum impedit corruptionem, vacuum replendo, nõ sufficiendo materiam veram instaurationis. Ideò alius à Spagyris balsamus petẽdus est ad legitimam conseruationem: ad medicum scilicet vulgarem pertinet altera praxis, nẽpe morborum curandorum, qui multiplices sunt, vt corruptionẽ auferat quę superuenerit, & corpus morbo affectum muniat seu mumiat) vt lego à mumia vocabulo ficto (de qua lib. ij) munit enim potius pars cõseruatrix aduersus corruptionẽ ne accidat, quã specifica hæc tollũt & abigũt. quorũ vsus spectat ad vitã breuẽ, sicut balsami Spagyrici ad vitã lõgã. De his specificis abunde in omnib. medicorũ libris. Vita lõga cõsistit in spiritu vitæ. Quod nãq; corpus in tutelam medico cõmittitur, mortale est, at non cœleste corpus (sic lego non quatenus & mors sicut Leoninus non Leonina, id est homo hac specie lepræ pollutus, vt paulò post tympanites &c. De ophtalmia dicam obiter, quùm eius variæ sint species, non videri à nostris rectè distingui, qui vnguem exponunt

Balsamus.

Balsamus Spagyricus,

alias Muniant.

De Ophtalmia.

maille (quæ macula eſt) onglée dicendum potius fuit, quæ vngula dicitur à barbaris chirurgis: taye autem dici videri à tegendo quòd pupillam tegat. Euphraſiam autem herbam ſpecificam eſſe in oculorum morbo, cuius ſaltem aquâ temperatur tuthia pro imbecillitate viſus, quemadmodum roſacea pro catharro ex diſtinctione Arnaldi Villanouani, cui vinum euphraſiatum Mathiolus aliiq; acceptum ferunt. Nec fortè hæc attigiſſem, niſi unà incidiſ-
De Saphiro. ſet Saphiri mentio, cuius vſum in erodendis
Dioſcorides. excreſcentijs laudauit Dioſcorides, de ramentis vel puluiſculo intelligens. At Mathiolus conſulens mortarium æneum euitandum & ferreum, ne plus ferri æris'ue oculo indamus
Contrà Mathiolum. quàm ſaphiri, in duplicem errorem labi videtur, tum quòd ærugo & ferrea ſcobs in aſpritudinibus oculorum probatur, tum quod radit etiam marmoreum & porphyriticum mortarium, vt experimento didici. Nullus enim lapis ſecundum Adamanta durior eſt Saphyro: remedium itaq; reperi tundendi Saphyri in mortario ferreo, non autem terendi.

IN CAP. IIII.

HIc homo conſtituitur ex duplici corpore & duplici vita. Corpus phyſicum cum ſua naturali vita tranſit in compoſitionem formę vnius ex duabus partibus conflatæ. Corpus cœleſte cum ſua vita tranſit in aliam formam. Iſta ſemel coniuncta faciunt hominem noſtrum. At quælibet in il-
lo

lo vita suo modo est conseruanda, scilicet essentia per ea quæ præter naturam sunt, natura per naturalia. Duo sunt partes huius compositi, nempe homo per semen & Deus. Adamus ex eo quod præter naturam est vitam longam accepit, non ex creatione, id est generatione humana quæ procedit è semine. Huc pertinet prædestinationis cognitio. Exemplum distinctionis vitæ longæ seu cœlestis à physica vel naturali, apparet in dormiente, cui inest tantùm actu vita naturæ siue vegetalis, altera vita scilicet animali sopita & tanquam mortua non obeunte sua munera. Sic in eo cui nunc iugulum ferro præcisum fuit. Conclusit per vitam longam seu virtutem animalem hominem redintegrascere, quod Christiano sermone intelligo, resurgere, quamuis etiam aliqui philosophi vt Anaxagoras eò cognitionis peruenerint. Delectatur enim Paracelsus nouitate verborum, quæ lectori potest tenebras offundere. Hoc ergo compositum nobile humanũ microcosmos verè dictum (quia sermo hîc de vita duplici, nõ cõplectitur mẽtẽ atq; rationẽ, quę in homine tertiã partẽ & prĩcipẽ cõstituit: quãuis sub semine supernaturali sapiẽtia cũ vita delitescat. Quũ enim sint tres mũdi, intellectualis, cœlestis, elemẽtaris, in hominis cerebo tanquam in arce, situs est intellectus angelicus, in corde, fons caloris cœlestis: in genitalibus membris, generatio & corruptio. Sic secundum eundem Anaxagoram tres mundi, vnus sunt: quia quod est in vno,

Anaxagoras de resurrectione.

Ratio microcosmi.

Dionysius Areopagita. est in alio sed alia forma. Sic ex Dionysio Areopagita, potentia superior habet ea quę sunt inferioris excellenter & eminenter. Tres istos mundos figura tabernaculi templi Salomonis summo cum mysterio comprehendit: pars aperta, tanquam sublunaris, communis hominum ac brutorum: Sancta ex auro splendida cum candelabris septem, planetas septem cœli: in Sanctis sanctorũ Cherubin alati Angelicũ mundum referebant. Quidam hæc mysteria etiam terrestri & minerali operi accõmodare voluerunt, scilicet primam partem inferiorem materiis rudibus, secundam elementis seu lymphis, tertiam V. essentiæ, ex ordine principiorum Raymundi Lullij. Sed sapienter Augurellus.

Figura tabernaculi mystica.

Sacra non prophananda.

Qui verò incomprehensum & inenarrabile munus.
Diuinæ humanas aduentum prolis ad oras
Profati: haudquaquã parua hæc sensere, subingens
Os Illud tam magna sonans mysteria vates
Hæc tamen haud nullis nostri suadentibus ausi, &c.

Tandem finiam, hoc corpus cœleste rectè à Paracelso dici cum vita sua adiunctum à Deo corpori physico: vnde Plotinus censebat omnem animam à principio esse diuino: tantum aliena est à cõmuni doctrina vsurpatio in hac re cœlesti nominis corporei: nisi spiritum ex Platone intelligas sensibilem, constantẽ subtili compositione elementari, sicut dæmonũ corpora aeria constituit Apuleius.

IN CAP. V.

CAput hoc quintum est de duplici semine naturali & supernaturali, quorum naturale esse hæreditariũ nemo ambigit, sed in eo quod præter naturam est corpore, semen etiam esse quoddam hæreditarium mirũ est. Et si duo eiusdem cõplexionis homines, id est vir & mulier copulentur: tamen supernaturale semen, nequaquam verè coniungitur, ne legas nunquam: duplex igitur est matrimonium aliud humanum, aliud diuinũ: id est quod homo vel quod Deus cõiunxit. Ideò vetus tritumq́ue est sermone prouerbium, vera connubia in cœlo priusquàm in terra fieri. Ne verò quis facilè abhorreat ab hoc paradoxo, secum cogitet Deum inuenisse Dauid seruũ secundum cor suum, & ex D. Paulo abissum esse, incomprehensibilia iudicia Dei, quæ non licet homini in disceptationem reuocare. Ego verò hîc testificor & vbique, nihil mihi in animo esse affirmare, quod doctorum piorumq; virorum iudicio, sacræ religioni nostræ aduersarium esse videbitur, omniaque eorum censuræ libenter submittere. Sed vt ad rem redeamus: quamuis tractet Paracelsus potissimum de ijs semper quæ sunt præter naturam, vt hîc de matrimonio diuino, tamen obiter tractat, etiam de rebus natiuis: quoniam eadem (ex Aristotele) disciplina est contrariorum, quæ quidẽ inter se collata magis elucescunt. Quare de humano semine hæc censet. Nullam esse prorsus synceram complexionem in homine,

Duplex semẽ naturale & supernaturale.

Duplex matrimoniũ diuinum & humanum.

quæ à medicis tradatur, melancholicam, cholericam &c. sed esse hodie varias corporis physici constitutiones inter se confusas ex semine contrario semel confuso: lege itaq;, neq; sanguineum quenquam, neq; cholericum primò fuisse. In adulterato iam inde ab Adamo protoplasto semine humano consentit hic Paracelsus cum Rogerio Bachone philosopho Angliæ insigni.

De semine humano adulterato R. Bacho. De nomine Tetragrammaton.

Restat hîc breuis explicatio nominis Dei Tetragrāmatō: quo nomine turget hodiè stolida ineptaq; magia. Vnusquisq; enim Græcè linguæ rudimentis initiatus, sentit nomen esse quatuor literarum, quod innuitur non exprimitur: quemadmodum adonay Hebræi similiter nuncupauerunt. At belli isti inuocatores, spurcum pecus suis circulis illud, tanquam diuinum aliquod nomen inscribunt. Multi huiusce nominis veneratione adducti sunt, vt in Sibyllis priscisq; alijs monumētis inuestigarēt (qđ nos iampridem in libello de mysterijs notatū perstrinximus) nuncq; obiter ob Cardani tractationē variam & maculosam attingemus. Io. Panthæus venetus in libro Voarchadumiæ ænigmatico Iehoua interpretatur, quod I. Picus nomen futuri Mesiæ existimat: Ille ad Chymiam suam detorquet, vim inferat necne, iudicio prudentum relinquo. Quatuor enim sunt literæ: vox in diuinis libris vsurpata queeū significat, qui est, quiue existit, quū cætera non sint quæ in perpetuo sunt motu & fluxu ab ortu ipso ad interitū cōtinuè tēdētia.

Iod He Vau He.

Sic

Sic nos per lusum adolescentes adhuc, versibus Sibyllinis græcis de diuino nomine, vocem græcam ἀρσενικὸν accommodauimus: in quo omnia pulchrè conuenire videbantur, nempe 9. literæ, quatuor syllabæ, tres primæ duarum singulæ literarum, reliqua reliquarum, id est, trium, mutæ quinque, 5. semel sumpto, vocales ergò quatuor. Restat in numero qui ex literis colligitur, difficultas: quam enarrauit Emarus Ranconnetus vir apprime doctus Cardano, quùm ab Emilio Peroto viro eruditissimo atq; integerrimo accepisset, qui in his artibus disceptandis mecum maximam voluptatem capiebat. Id enim qualecunq; est inuentum est meum: vt libellus ille noster fidem facit. Nam vt verum fatear numerus rectius progreditur à centenarijs ad denarios, à denarijs ad simplices numeros: sicut vox à P. Morello accommodata comprehendit ἀνεκφωνὸς quæ numerum continet 1496, ita 1.50.5.20.500.800.50.80.200. vt tantum vnitas illi desit 6. pro 7. Sed vt de nomine Tetragrammaton diximus, nõ est hoc quoq; Dei affirmatiuum, sed potius negatiuum illius enuntiãdi quod Sibylla profatur: quale etiam illud Hebraicum, adonay, quum vtrumq; ineffabile significet. At dicit Cardanus repugnare elocutionis cõgruam rationem tribus modis: quòd cẽtenarij bis dicatur, quod ille nõ absq; ratione sermonis, ne ἑπτὰ δικάδις & σὺν pro cum, (vbi error est euidẽs scriptoris oscitãtis: dicere enĩ voluit ἑπτὰ violenter ad δικάδις referri & χ pro

Arsenicon.

P. Morellus.

Contrà Cardanum.

τ vitiosè legi. Sibyllam haud ita dicere absurdè. Exemplaribus enim tam vetustis dubia fides adhibetur. nec si γὰρ legas, versus constabit: quod ignorasse videtur. Notare verò debuerat ἐκτὰ, legi nō posse καὶ τρὶς τρεῖς δεκάδας, sed legendum ὀκτὰ κὶς τρὶς &c. vt octies faciat: illa vocabuli partitione tanto poëtico mysterio facilè condonanda. tertio autē versu oraculi ἡ λοιπὴ legendum pro αἱ λοιπαί. Hoc exemplo nonnulli pro nomine bestiæ mysticæ Apocalyps. excipiunt vocem Græcam Latinę gentis ab Irenæo: alij duas voces comminiscuntur græcas (vt Io. Auratus vir doctissimus σωτὴρ θεὸς in hoc verbo Sibyllino) in eundem modum & in secunda literam latinam finalem, a, quum η græcè dicendum foret: nisi latinam formam probes in latinæ gentis nomine (vt in Theophili græci institutionibus Romanis) sed ista Theologiæ abstrusioris peritis relinquemus. Miror verò magnoperè futilitatis ac vanitatis autorem, qui suo more idem hîc approbat damnatq; (perpetuâ iudicij inconstantiâ & mendaciorum frequenti obliuione, ingenium suum in hoc argumento non exercuisse, quùm nihil diuini humaniq; intactum reliquisse videatur. Accedit (inquit) illud, quod res ipsa, verbis & nominis expositioni congruit, vt aliâs docuimus: Nam & arsenico æs in argenti similitudinem transit, & in auripigmento aurum continetur. Si non hoc, aliud quippiam Sibylla indicare potuit valde vtile. O quàm hoc futile iudicium vt videatur

Cardanus.

arsenicum

arsenicum ab auripigmento reipsa distinguere, quæ tantum linguarum discrimine differunt. Aurum autem ab auripigmento elici Plinius autor est his verbis: Aurum faciendi est etiamnum vna ratio ex auripigmento. Caius princeps iussit excoqui magnum pondus, & planè fecit aurum excellens, sed ita parui ponderis vt detrimentum sentiret: quanquam auripigmenti libræ xiiij. permutaretur, nec postea tentatum ab vllo est. Lego libræ auri ex auripigmento. Quæquidem Carolus Molinęus lib. de Crimine falsi detorsit in sensum experimenti auri probationis: quæ à Stibio non ab auripigmento dependet, quod cementum regale nuncupatur tanquam ab eo qui regulus est per excellentiam nominatus. Sic in aqua Chrysulca falsus est, quam noui inuenti putauit. Plinianum testimonium voluit his versibus explicare Augurellus, non inscitè de arsenico vel arrhenico (quod Hermolaus refert dici Democritiis Chymistis quandoq; androdamanta, quandoq; comarim scythicam, licet hoc posterius etiá sulphuri & lapidi suo philosophico accommodent.

Carolus Moliuæus.

Hermolaus Barbarus.

Est lapis effosus Syriæ pistoribus, auri
Pigmentum verò quod & ipsi nomine dicunt
Frangitur attritus specularis more lapilli
In summa ostentans auri tellure colorem.
Hunc tu purgatum doctè prius, excoque multo
Igne per anfractus longos, qui ducitur, vsq;
Quo redeat flammis in se voluentibus idem.

Iidem censuit Bonus Ferrariensis epistola quadam de arsenico, principiũ esse ac fundamentum artis Chymicæ. In quam hîc non ineptè incidimus, quum à Paracelso ipso velut obtorto collo in eam rapiamur his nouissimis huiusce cap. verbis. Adeò quicquid est præter naturam, velut naturæ thesaurus est deo commissus: id quod apud Spagyricæ artis peritos palàm est. Spagyros enim vbique suo vocabulo ac nouo chymicos intelligit, fortè à σπάω qđ abstrahere significat, vnde etiam dicuntur abstractores quintarum essentiarũ, & gyro propter anfractus quos nunc à poeta audijstis. De qua arte etiam Tritemium ipsum præclarè sententiam ferentẽ in Polygraphia sua, ineaq; falsam à vera distinguentem, vt fit etiam in Magia, audiamus. Chymia à pluribus amatur & casta est: multas habet ancillas familiares quæ dominã suam perpetua vigilantia custodiunt, seq; eius nomine supponunt, vt eam conseruent à commercio tot importunè amantium tempore sempiterno intactam. Vanitas, fraus, dolus, sophisticatio, cupiditas, falsitas, confidentia mendax, stultitia, paupertas, desperatio, fuga, proscriptio, & mẽdicitas, pedissequæ sunt Chymiæ. quæ dominam simulantes amatam, eam inuiolatàm custodiunt, & semetipsas illius procis pecuniosis, auaris, cupidis & fatuis libenter prostituunt. Hæc Tritemius. Iam absoluam, vbi admonuero de Thesauro vitæ quem Deo commissum dixit: multos tractaturos hæc verba in sensum chymicum, coniectura

Paracelsus.

Spagyri vnde dicti.

Tritemius.

Polygra. de Chymicæ familia.

Paracelsus.

ra fretos verborum ſubſequentium : id quod apud Spagyricæ artis peritos palàm eſt. Nam in Alphabetaria reuolutione Raymundi Lullii Deus ſemper A literam conſtituit. Et in Rogerio Bachone nutu Dei cabala eſt artis arcana, quam Io. Panthæus explicare conatur Hebraicè, Græcè, Latinè. Sic loquutus eſt præfator Gebri Chryſogonus Polydorus à matre metallorum Deo, in expoſitione expeditionis Colchicæ ad vellus aureum. Eódem inclinat ratio ſermonis, qui de deo opt. Maximo eſſet abſurdus, cui commiſſum theſaurũ, à quo tanquam ſuperiore dicere fas eſſet? Argumento ergò ducto à cõiugatis (dialecticorum more) intelliges quid ſit diuinum matrimoniũ, à deo metallico copulatum: de quo ſuprà. *Lullius. Bacho. Panthæus. Chryſogonus. Matrimoniũ diuinum ænigmaticè.*

IN CAP. VI.

TRactat documenta myſtica quibus conſequi liceat vitam longam : quæ eſt extra naturæ vires, ſcilicet ſupra ſpatium viuendi cõmune, quò non peruenitur ductu naturali & via vulgari cùm victus tum medicinę. Itaq; nihil ad medicos. Itẽ nihil ad vulgus Aſtronomorum qui in alienum vſum artem detorquent, quum accõmodare nituntur corpori humano ſupernaturali ſeu Metaphyſico, quæ in naturale corpus tantùm vim ſuã exercere poſſunt. Damnat etiam eos qui extra facultatem hominis id exiſtimant, totumq; hoc opus referunt ad cacodæmones vt Io. Vvierus, & reliqua imperita multitudo : quùm ali- *In Vuierum.*

ter cõſtet in ſacris exorciſmis ſpirituum. Aſtronomaſtri petebant auxilium à carbonibus cœli Martis vel Iouis, id eſt ab ipſis ſtellis quę corpora cœleſtia appellãt & naturalia ſunt. (Marti autem carbonis accenſi ſimilitudo mirè cõpetit ex aſtri eius rubicũdo ſplendore) At iſta corpora non habent poteſtaté niſi in res mortales: quod confirmat omnis academia theologica in diſceptatione prædeſtinationis, non igitur in corpus cœleſte humanum quod eſt inuiſibile, ipſa autem viſibilia. Concludendũ ergo ſubiectum operum mirabilium eſſe corpus noſtrum ſupernaturale, vim autem ſeu virtutem effectricem eorum eſſe influentiam ſupernaturalem, quam I. Picus Mirandulanus interpretatur, ſicut & Tritemius, intelligentiá motricem orbium cœleſtium, quam hic etiam ſecundeam appellat. Picum auté videtur ignorantiæ arguere, vel Io. Reuchlinum in libris Cabalæ & verbi mirifici, qui ex hebræorũ fontibus nonnulla de his hauſerunt. Viam autem adipiſcendæ longę vitæ ſternit ab imaginibus ac Gamahæis: de quibus Marſilius Ficinus diſſertè multa & cumulatè ex Platonica diſciplina in lib. de vita cœlitus haurienda, qui tertius eſt poſt lib. 1. de vita ſana, & ſecundum de vita longa, vt illum in eodem quo Paracelſum appareat argumento luſiſſe. Itaque paucis illius paria inſtituta (expoſitionis & confirmationis gratia) cum hiſce Theophraſticis conferamus.

Carbones cœli Mars & Iupiter.

Io. Reuchlin.

De imaginibus.

M. Ficinus.

CON-

COMPARATIO MARSILII Ficini de Vita longa, cum Paracelso.

IAm primùm ſtatuo, vt Magiam & Cabalam Paracelſi enucleemus, ignorantiã ſeculi noſtri proficiſci ab incredulitate rerum maximarum, vt quæ à magia pendent. Quæ quùm ſit duplex, ſcilicet vana & ſuperſtitioſa in cultu cacodæmonum ſita, quæ fabricat portenta, atq; vera & ſalutaris quæ cœlum terræ maritat, & infimis materiis fauorem ſuperarum conciliat: multi à fide eius alieni ſunt ignorantes cathenam orbis vniuerſi auream ab Homero deſcriptã. agnoſce interim materiæ metallicæ ſymbolum, & Platonicos annulos pendentes à viua virtute opificis tanquã ferreos â lapide Herculeo: adimentes vitam animamque mundo, cœlo, ſyderibus per quam influxus cœleſtes in hæc inferiora infunduntur. De quibus ſcitè Ficinus in Apologia: niſi ſacra Euangelij verba ſacerdos ipſe malè in hãc ſententiam raperet, niſi quam nunc docet cõfirmatque magiam, mox ſe narrare non probare ſimularet. Nam ne fortè in ſuperſtitionẽ labi videatur, labitur in errorem manifeſtum, dum præfert concoctiones medicinarum ſculpturis lapidum ac metallorum, quòd ea (vt ait) momento ſculpantur, quæ tamen tempus habet fuſionis, tẽpus ductilitatis ſub malleo, tempus deinde longum ſculpturæ. At extrà dubitationem meritò ponit vnguenta & pharmaca ſidereo fauore afflata, viribus

Magia duplex.

Catena Homeri aurea

Annuli Platonici.

Apologia Ficini de Magia.

De lapidum ſculpturis.

Pharmaca conſtellata.

ſummis inſigniri: In quo Paracelſus Hippocraticam Muſam reprehendit, quæ inferioribus tantùm rebus inſudauerit, nec eas ad normá virtutemq; ſuperiorum temperauerit. Sic negligit vulgus medicorum medicinas cœleſti adminiculo conformatas: quas ille multo vſu compertum habuit tantùm differre ab aliis ſine delectu aſtronomico paratis, quantum ab aqua merũ. Quod autem ambigit Ficinus diffiditq; de momento ſculpturæ, facile ex actione radiorum ſtellarum luminisq; ſubita penetratione confutatur. Dic itaq;: Marſiliũ fidem adhibuiſſe imaginibus & Sigillis, ſed religionis metu diſsimulaſſe (vt ex illius variis ſermonibus colligere facillimum eſt) multorum interim fidem in ijs rebus difficillimis & aſſertionem perperàm cohibuiſſe ſuſpenſamue tenuiſſe. Libros ille & Ioann. Picus Mirandulanus Pythagoreorum Platonicorumq; magna myſteria continentes, Zoroaſtis, Triſmegiſti, Indorum, Chaldæorum, Egyptiorum, Arabumq; legerunt: ſed ſuperficiem tantæ ſapientiæ delibaſſe illorum ſcripta demonſtrant, ad intimam eorum mentem penetraſſe nulla illorum mirifica opera geſtave teſtantur. Magná tamen aliis qui priſca illa monumenta nó deguſtarunt, admirationem ſui reliquere.

D. Ioan. Pico.

De Sigillis & Imaginibus.

Gamahææ.

QVantum auté ad Sigilla attinet (quas Gamahæas hic Paracelſus nominat) aut ſunt à natura impreſſa & hoc nomen

Gamahæ Bezoar

men sibi propriè vendicát, aut ab artifice sculpta, & sigilla dicuntur. Quantum, inquam, ad ea, præclarè Marsilius ex hahamed contrà venena lapidem Bezoar ligandum in annulo, insculpendamq; lapidi scorpionis imaginem, cum luna quùm respicit ascendentem, postea thus ex eo lapide sigillatum pari constellatione, intrinsecus assumptum, vires Bezoar referre: in cuius lapidis pretium Abdallahamarach scriba Mamari palatium Cordubæ dedisse. Prçclarius multò Arnaldus Villanouanus qui Bezoar neget sibi admirabilem quùm viderit, audite cœli & terra, vires magnæ medicinæ, quem lapidem rubicundum nuncuparũt, &c. libro de dosibus thariacalibus. Marsilius autem Bezoar falsò iudicauit Antidotum generalem aduersus venenum: quem idem Arnaldus restringit ad noxia tantùm animalia, sicut nuper experientia comprobauit in reo, cui fuit propinatus post toxicum officinarum, quod ferè ex metallicis paratur, paucas post horas perempto. Adiiciam paucis, experimentum Sigilli Leonis à me visum in morbis stomachi, laterum & renum, sola eius suspensione: quamuis nondum probauerim, occasione non oblata, quod in eo præcipuum perhibetur. si lumbis humanis appendatur, sua præsentia non minus adimere sensum calculi, quàm adamas impediat à magnete attractionem ferri, ex Arabum indubitata confessione. His addam ex Alberto magno in libro Summæ, aliàs de mirabili scientia Dei, prætermit-

Sigilla.

Bezoar lapidis miraculũ & pretium.

Lapis physicus.

Albertus magnus de magia.

tens quæ autor idem in ſpeculo de libris licitis & illicitis, docet in Magia, in parte illa quæ dicitur de imaginibus & annulis & ſpeculis & ſigillis à Chot Græco, Grema Babylonico & Hermete Aegyptio. Et inuocatiões ad hoc ordinatæ deſcribuntur in lib. qui dicitur Almadel: qui nuper mihi periit amiciſsimi viri mortc, in charta pergamena ſcriptus, minio oblitus, & vt aiunt, conſecratus Seruij etiá grammatici verbis. Addit Albertus: Planetæ ex ſcintillatione radiorum figuris reflexionis eorum habent virtutes commiſcibiles materiæ, per quas conueniens ex conuenienti producitur. Et horum nihil habere poſſunt Angeli, quùm ſint ſubſtantiæ ſimplices ſpiritales. In quo cõſentit D. Auguſtinus: inſunt rebus corporeis per omnia elementa mundi quædam occultæ ſeminariæ rationes, quibus quùm data fuerit opportunitas temporalis, prorumpunt in ſpecies modis ſuis & finibus debitas. Cui addit Io. Picus in nongentis concluſionibus: Miracula artis magicæ non fiunt niſi per vnionem & actuationem eorum quæ ſeminaliter & ſeparatè ſunt in natura. Ad cathenam aureã idẽ Picus. Quòd dicunt interpretes Chaldæi ſuprà primum dictum Zoroaſtis de ſcala à Tartaro ad primum ignem, nihil aliud ſignificat quàm ſeriem cauſarum vniuerſi, à non gradu materiæ ad eum qui eſt ſuper omnem gradum graduatè protenſum. Iam à Magia ad Cabalã Paracelſi nobis deſcendendum eſt.

Almadel.

D. Auguſtinus.

Ioã. Picus in Nongentis concluſionibus.

Zoroaſtis dictum primũ

DE CABALA.

CAbala mihi alia eſt vniuerſalis, vniuerſi mundi opera complectens, alia particu laris, quæ indiuidui rationes collimat. Cabala proprié Hebræis eſt myſteriorum ſuc ceſsiua traditio à Moſe (qui à Deo accepit) ad alios. Ars tamen combinandi ſeu alphabetaria reuolutio, ſeu methodus procedendi in ſcientiis. item pars magiæ virtutibus ſuperiorum ſupra lunam, ab Hebræis etiam Cabala dicitur nomine generali. Cabalici autem libri ſunt Talmud Hieroſolymitanus, & Talmud Babylonius. Quæ proficiſcuntur ex ijs libris Cabalicis, oracula dicuntur, vt ex Elia Hebręo. Quot dies pro creationis mundi, totidẽ millia annorum durationis ſecundum Chaldæos, ſcilicet

Cabala.

Ars combinandi.

Alphabetaria reuolutio.

Talmud duplex.

Duo millia naturæ
Duo millia legis
Duo millia gratiæ,

De quibus Ioannes. Picus: Si qua eſt de nouiſsimis temporibus humana coniectura, intelligere poſſumus per ſecretiſsimá viam Cabalæ, futuram eſſe conſummationem ſeculi, hinc ad annos D.XIIII, dies XXV. Quidam verò obiter dicunt aduerſus Picũ: Quùm Eſdras propheta libros Moſi combuſtos à Chaldæis (qui & Babylonij fuerũt dicti) memoria vſus pro Archetypo reparauerit: quomodo exiſtimabimus literas ſingulas & ſyllabas eaſdẽ eodemq; ordine pro Cabalæ fundamento re-

Eſdras.

Contra Picum.

Ars memoriæ.

ſtituiſſe? Quibus tamen ex arte memoriç (quç nobis eſt familiaris) facilè reſponderi poteſt. Vt autem reuertamur ad hanc ſeculorum Cabaliſticã reuolutionem, in cuius ſecundo Millenario Meſsiæ aduentum Picus includit: qui dam ea ratione permoti regnum Patris ſecundum aliquam perſonarum diſtinctionem vnita tamen ſemper trium diuinitate, primo millenario aſsignauerunt, vt hinc tertio millenario Regno ſpiritus Diuini: ſub quo apparere videantur ſpiritus humani noua atq; inaudita artificia, atq; inuenta in omni rerum mortalium vſu. Tritemius, magnus vtiq; vir, in libello ad Maximilianum Imperatorem de ſeptem ſecundeis, tres ſimiliter conſtituit. Reuolutionis totius ſeculi Cõciliatorẽ medicorũ aliosque priſcos ſapientes ſecutus, vt in vnaquaq; ſeptem intelligentiæ, vel ſpiritus, planetarum ſuum quælibet motum conficiant, & ſecundũ Deum mundum gubernent. Motus ſingularum ſit annorum 354. menſiũ 4. Nominantur ab eo ſpiritus, Orifiel Saturni, Anael Veneris, Zachariel Iouis, Raphael Mercurij, Samael Martis, Gabriel Lunæ, Michael Solis: quæqui dem recenſentur ab eo, non aſſerũtur. Ego exiſtimauerim hanc ſeptem planetarum reuolutionem eſſe conuerſionem anni magni Platonici. Subiungam quæ mira mihi viſa ſunt in Tritemio. Non reſtituetur, inquit, Iudæis liber tas ante tertiam reuolutionem Michaelis, ſcilicet poſt Chriſti natalem diem anno 1880. menſe 8. Cõuerſio tertia Gabrielis anno Chriſti

Conciliator.

Annus magnus Platonicus.

Cebaliſtica Aſtronomia Tritemij.

sti 1525. prophetiam requirit. Circa finem tertiæ conuersionis Samaelis alterationis imago transibit ad primum, & erit perditio multorum. Nisi enim Y reducatur Deo ministrante, Iego, miserante, ad Algos, erit alicuius Monarchiæ translatio. Secta religionis consurget magna, veterum destructio Religionum. Timendum ne caput vnum amittat bestia quarta. In Samaele Mars primo prędixit diluuium, Troianum in secundo excidium, in tertio erit circa finem magnum vnitatis detrimentum. Ex præcedentibus enim iudicentur futura quę sequuntur. Non consummabitur Martis hæc tertia reuolutio sine prophetia & nouæ alicuius institutione religionis. Hanc Astronomiam Cabalisticam Tritemius repetijt in pręfatione lib. tertij Steganographiæ, inculcauit in Prooemio lib. vi Polygraphiæ, vbi addit supputationi singulorum planetarum dies 4. horas totidem: Orifielem interpretatur viuificantem Dei. Mercurium dicit figmenta poetarum omnis literaturæ præsidem perhibuisse: magna latere sub fabulis rerum arcana promittentium. Redeuntes verò ad Eliæ hebræi oraculum de Millenarijs annorum mundi deductis cabalisticè à sex simplicibus numeris dierum creationis: idq; per centenarios Tritemij: Addit quidam: Quod Astrologi dixerunt Saturni diem contemplationi esse deditum, quod Hebræi Sabbatum quieti: in eoq; Deum patrem ab opere cessauisse creationis rerũ (nempe die veneris) iá ꝑfecto atq; absoluto: Eodẽ pariter

Orifielem.

Sub Mercurio arcana.

Cabala dei Veneris in creatione. & regeneratione. Veneris die opus nouę regenerationis à Christo Iesu filio completum fuisse: vnde vox ab illius ore mystica, Consummatū est. Finiamus hanc vniuersi Cabalam in particulari Apollonij Thianei, cui annuli septem ad planetarum *Annuli septem planetarum.* septem influxum confecti, donati fuerunt à Rege Iarcha Indo, singulis suo quibusq; die hebdomadis deferendis.

Vt autem redeamus ad Paracelsum nostrum à quo videmur quadantenus digressi: id est à Cabala illius particulari ad vniuersalem: quum hoc eodem cap. tractet de magia & de Cabala dicemus, characteres proprios esse *Distinctio Magiæ à Cabala.* magiæ, numeros verò Cabalæ, literas esse quodammodo medias inter vtrosq; in Cabala, ergò quæ numeraria est summum esse axioma: Quilibet numerus præter ternarium & denarium sunt materiales, illi sunt formales, & in A- *Mysteria numerorum.* rithmetica mystica sunt numeri numerorum. *Tritemius.* Hæc Chaldæi: cum quibus consentit Tritemius in claue Poligraphiæ his verbis: Adest viro sapienti mens sana in corpore bene morigerato: quæ desiderio sublimioris intelligentiæ sursum acta, quum per similitudinem binarij à ternario redierit in vnitatem, deinceps iam fa- *Expositio mysterij numeralis.* cilè in denarium consurget. Quorum expositioni subijcient quidam perbelli homines: hîc esse cōprehēsam cōpositionē medicinæ philosophicæ ternariam (de qua Augurellus poeta.

Sunt tria, deinde duo, dein rectè si scieris, vnum
Tantùm erit, &c.

Hanc compositionē ternariam subsequi de-

nariam

nariam proiectionem ex Spagyrico axiomate. Cum quibus hæc conueniunt Tritemij eiusdem de quaternario, licet discrepare videantur. Pythagoras Samius discipulos monuit non esse quaternarij obliuiscendum, in quo prima numerandi perfectio comprehenditur. Sic enim numeramus 1, 2, 3, 4: siste mentem, habes namq; 10. Denarius enim perfectionis est caput. Quid sunt 11, nisi denarius & vnitas? quid 20? bis decẽ: quid 30? ter decẽ: quid 40? quater decem habes, & à quaternario minime recessisti. Et quid sunt 100. nisi decies decem? Profunda in his latent mysteria paucisque manifesta. Amore breuitatis silentio complures præterimus qui naturam arte iuuantes, arcanis prudentiam adhibuerunt & quod inscijs multis impossibile videbatur, sagaci studio in vsum facilem produxerunt. Culta mens grandia potest, & qui adhæret deo intelligentià fit mundo altior.

Paracelsus de magia Cabalistica.

Restat in hoc vi. cap. Paracelsi Tota Cabalistica mageia hoc in se claudit, vt palàm faciat corpus quod secundum naturam est. (ab eo, addo) quod præter naturam existit, & nobis velut imago insitum, sustineri & administrari: vt diuersos & longè dissitos sensus, puta orientalem & occidentalem æquales, cogitationesque incognitas, cognitas absens reddat.

Hæc subdit meritò difficilia esse cognitũ quæ sunt ex professo tradita à Tritemio doctore Theophrasti nostri in libris Steganographię: de quib. ille ipse: latẽt sub corticè nuclei

Tritemius de Steganographiæ misterijs.

Steganographiæ noſtræ iuſta ratione ſepulti,
" ne blatteronib. pateſcat indignis. operę deniq;
" prætium fuerat, vt opus Polygraphiæ alteri
" non præiudicaret, ſed ius ſuum vnicuiq; diſtri
" bueretur inuiolatum. Exemplum autem di-
" ſtinctionis hoc habeto ex ore ipſius: Stegano
graphiæ ſuæ à Poligraphia, atq; tacitæ expli-
cationis, in claui ad lib. ij. Polig. In Steganogra
phia non dictio literam, ſed quæq; aliam inte-
gram ad myſterium conuenientem repræſen-
tat dictionem, cuius exemplum ponemus ſen
tētiæ cordis velatę ſub Steganographię limiti
bus duplici ratione. Nam illa penè infinitis
narrationibus non vna aut duabus hîc pręſcri
ptis, ſecretum docet abſcondere.

Diſtinctio Steganographiæ à Polygraphiæ.

" *Exemplum.*

" Conſpirauerunt in necem tuam Melan-
" cius, Tyberius, Ioannes & Petrus famuli Co-
" mitis de Aſoto, & IIII. die poſt Laurentii de
nocte circum vallabunt domum tuā, proinde
quid agas: hoc exēplū. Steganographia ſic pal
liat: Oro te amicè chariſsimè vt mutuò mihi
tranſmittas decem florenos cum latore pręſen
tium, quia ſunt mihi valdè neceſſarii pro con-
ſtructione cuiuſdam ædificii, eos tibi fideliter
reſtituam. Idem ſub alia narratione ponamus.

Domine Ieſu Chriſte fili dei viui, qui homo
fieri pro nobis, pati & mori voluiſti, miſerere
mei peccatoris indigni, nunc & in terribili ho
ra mortis meæ.

Nota in Tritemio (lector) numerum parem
dictionum

dictionum seu verborum in exemplo & in duplici forma velaminis: in modum velandi incumbe omni cogitatione. Notare hîc licet modum coniunctionis huiusce corporis inuisibilis, nempe per insitionē tanquam imaginis, velut surculi in arbore, vel (vt suprà) tanquam ignis in ligno. Sensum autem intellige, naturæ quem ponunt Alchindus Arabs, Bacho Anglus, Guliel. Parisiensis, qui sensus est vehiculi Platonici. Hęc autem fieri affirmat semper Tritemius ratione artis aut naturæ, non vlla ope spirituum nefariorum, qui Cacodæmones dicuntur. Spiritus enim etiam paulò antè audiuistis in lapidibus, metallis aliisq; rebus quam plurimis, imò fortè omnibus inesse: vnde spiritus vini lib. iii. de vita lõga: vnde Spiritus v. essentiæ apud Lullium appellatio. Philosophantes enim commertium istud (secundum Bachonem) cum geniis malis non curant, nec eos subiici credunt humanæ voluntati, cuius vis longè est inferior angelica. At per artem deferri cogitationes nostras ad eos qui longo interuallo locorũ distent, modo incognito atque inusitato, idem autor est lib. de Mirabili potestate artis & naturæ: qua quidem potestate gemina fretos sapientes, negat ad magiam vnquam confugere. De hoc etiam aliquid attigit Cor. Agrippa, velut Tritemii discipulus. Sed occasio sinistræ de huiusmodi scriptis opinionis est à cœlãdi vel occultãdi ratione, quæ in Tritemii Steganographia concepta fuit sub magię velo, vt hîc quoq; plerisq; in locis quã à

Sensus vehiculi Platonici.

Spiritus vocabulum.

R. Bacho. Cõtra magiam nefariam.

Paracelsus.

me extrà naturę vim nō approbari testatū sem per velim. Sensus, Orientalē & Occidentalē.

Orientem suprà notauimus à Tritemio esse vbi Sol ab initio creatus fuit. sic in monumentis Turbæ philosophorum, scribitur ænigmaticè: Canis meus ab Oriente & tuus ab Occidente concurrerunt, vnus alium momordit, &c. Hæc neminem offendant quæ allegorica existimo, vt etiam de ortu Salomonis & matrimonio duplici (ne quis Theologicè discutiat) quæ coniunctionem rerum certarum significant, & ortum lapidis quem infantem suum appellant. Litera enim occidit & spiritus viuificat. Cui astipulatur Calyd. Accipe Canem masculum Corascenin, & caniculam Armeniæ & parient tibi catulum cœlestis coloris. Eò spectare mihi videtur descriptio aurorę in principio Hypnerotomachiæ Polyphili & Io. de Meun in Romantio rosæo gallico doctrinæ reconditæ plenissimo, de figura serpentis, cuius caput versus Occidentē, cauda versus Orientem, quiq; dorso arborē portat ramis in Orientem pendentibus, sed quotidam circumflexu, cuius in obliquitate ipsa incumbat homo pedibus in Occidētem versis. Hæc est scriptorum collatio, quam sum pollicitus ad mysteriorum enarrationem, legibus artis astrictam: Tantùm admonebo quæ hîc ad artem quampiam referuntur, indicium aliquod veri haberi à præsagiis naturæ, quæ sæpe inter sanguine coniunctos de morte absentum aut graui periculo sentiuntur.

Turba philosophorum. *Calyd.* *Polyphili auro.* *Figura mirabilis.*

IN

IN CAP. VII.

PAracelſus hoc cap. oſtendit in ſciētia magiæ eſſe viam ad longam vitam quam calluerit Adam, quam Mathuſalem: qui duo ſpiritum ſummæ vitæ retinuerunt. Scientiam autem hanc periiſſe deflet: quæ tamen traditur libro Razielis ampliſsimo qui nondum intercidit, ſi tamen verax eſt. Cuius tantùm fundamentis innititur Tritemius, lib. Steganographiæ ſecūdo, & Salomonis cuiuſdam hebręi, non regis illius ſapientiſsimi, vt quidam opinantur, non magis quàm ſit Democritus Abderites autor chymiæ Hermolao nūcupatus: non magis quàm Plato ille nobilis Athenienſis, cuius chartæ enigmaticæ cum Arabica paraphraſi leguntur: non magis quàm Ariſtotelis Stagyritæ ſecreta quæ reperiuntur ad Alexandrū. Illos enim Bacho cenſet hæc myſteria ignoraſſe: ego verò Ciceronis verbis diuinū Platonem libenter excipio, quem video fabulis vberrimis totum ſcatere, quæ mihi valdè cōuenire cum priſcis myſteriis uidentur. Oſcitanter itaq; videretur Bacho Ariſtotelē autorem citare eius artis, quā illi antè planè adimit denegatq;: Sicut Paracelſus hic noſter Moſem inficiatur magia vſum ad vitam longam adipiſcendam: quem tamen inſtructum fuiſſe omni diſciplina Ægyptiorum Biblia ſacra teſtantur: & Cornelius Tacitus Romanæ hiſtoriæ ſcriptor magum ſapientiſsimum prædicat. Hebræi autem dicunt, Ante Moſem

Iuſtinus & Cornelius Tacitus de Moſe.

omnes prophetauiſſe per ceruam vnicornem.
Cabaliſtæ dicūt aliter antiquos vidiſſe in ſpeculo nō lucente Moſem in lucente.
Ad quam Magiam reuertemur vbi addiderimus præſidium vitæ diuturnæ, etiam hîc metallicis rebus hauriri: ſed chymia ſolum corpus reſpicit ſcilicet phyſicum, cui repuerāſcentiam hermeticam promitttit: Magia, (de qua præcendenti cap.) in corpus cœleſte influxum trahit à cœli mentibus. Repueraſcentiam intellige ut ex Medeæ fabula in Æſone Iaſonis patre: ſic ait Bacho, ſapientes excitatos cerui, aquilæ, ſerpentis aliorumq; animalium exemplis, quæ per virtutem herbarum & lapidum ſuam renouant iuuentutem, opem ſimilem homini procuraſſe. Ille Artephium cum Adam in vitæ longinquitate coniungit: de quoiàm in compendio noſtro ſed compendioſè aliqua perſtrinximus: cuius quum libellus in manus inciderit, ne pereat, hîc libenter inſeremus, poſtquam ſubinde pręfati fuerimus
Artephius de ſecretis naturæ.
ſenſa mentis eſſe in illo ſubtiliter exquirenda, quem dicit Bacho vſum literis confictis pro arbitrio ſuo in libro de Secretis naturę, quod ipſe iudicat maximum intelligendi impedimentum. Mirarer autem ſcriptoris cuiuſdam mediolanenſis varium inconſtanſq; de hoc Artephii libro iudicium, niſi tituli ſui varietate excuſaretur. Hanc, inquit, hiſtoriam inueni in li-
H. Cardanus
bro antiquo pulcherrimis characteribus ſcripto in charta hœdina, vt credam olim alicuius fuiſſe exiſtimationis: aderant & multa alia his quę hîc ſcripta ſunt, abſurdiora. Et negauerī aliquē diuinādo ꝑ eū poſſe proficere: Sed & ſeſ aliquis

aliquis artificiosus sub hac fabulá latere potuit, quem ego hucusq; non assequor. Videt hîc lector historiam mox fabulam dici: absurda iudicari quæ sensum existimet continere posse artificiosum qué minimè intelligat, imò cuius autorem perhibeat magicę stultitiæ maximum: non alio iudicio quàm Car. Bouillus in Tritemij Steganographiá inuectus sit. Huc addam, ad eam partem quæ chymiæ est, Ioannis cuiusdam Pontani elogium, post Cornelij Agrippæ de magia eiusdem. Agrippa lib. III. de Occulta philosophia. Artephius magus atque philosophus de virtutibus verborum atque characterum singularem librum conscripsit. Ioan. Pontanus in epistola quadam manu scripta de igne philosophorum scripsit, infinitos homines errare in opere philosophiæ, eò quòd autores non expresserunt proprium agens, excepto vno qui Artephius nominatur. Sed parcè (inquit) loquitur & nisi Artephium legissem, nunquam ad complementum operis peruenissem.

ARTEPHII DE SECRETIS naturæ summa ænigmatica.

DE magia quam Plinius arguens vanitatis, dixit tres imperiosissimas artes cōplexam, nempe Astrologiá, medicinā & religionem ceremonialem. Artephij proposita fuerunt octo, quæ omnem fœlicitatem pollicentur. Ea breuibus verbis proponá: si enim *Plinius.*

per ea millenariam vitam eſt conſecutus, æter nis ſunt digna monumentis.

Primum docet characteres planetarum, annulorum & ſigillorum.

Secundum, Motus auium quid ſignificent,

Tertium voces earum ac animalium interpretari, ac ſortes proiicere.

Quartum docet virtutes herbarum.

Quintum lapidem philoſophorum.

Sextum docet ſcire præterita, præſentia & futura, per tria vaſa.

Septimum demonſtrat experimenta propria, tum faciendi tum cognoſcendi.

Octauum declarat virtutem producendi vitam ad multa ſecula.

PRIMVM IGITVR PROPOSItum continet characteres multiformes, planetarum, annulorum, & ſigillorum, hoc ordine.

SOL,
LVNA,
MARS,
MERCVRIVS,
IVPITER,
VENVS,
SATVRNVS.

Motus auiũ. SEcundum motus auium ſic deſcripſit, dicens: ſi cornix ante te volat, ſignificat tempus futurum: ſi à latere dextro, præſens: ſi poſt terga, præteritum malum, ſemper: ſi à ſiniſtro, malum, quod tamen auerti poterit bono conſilio: Si ſupra te, mortem proximã, &

hoc si crocitauerit: nam taciturna nihil horum ostendit. Si autem incipiat volare à loco alto ad inferiorem & quiescat, non tempus, sed personam indicat. Si igitur ante te quiescat, breui conciliabuntur tibi inimici tui: si supra te descendens volauerit, erit supra inimicos tuos auctoritas tua: si quieuerit in alto, tunc eleuabuntur ipsi contra te: si ibi se firmauerit, eris in eorum potestate: si non quieuerit, locum descensus considera: nam si ante te, bonum pro te: si verò aduersum te, bonum pro tuis inimicis. Si verò his peractis, à latere dextro sedeat, lætatur de socia decepta, & nihil ad te: similiter si à sinistro, nam significat mortem proximam eius qui tecum est: quòd si solus sis, sibi ipsi auis mortem pronuntiat. Caue autem, ne vel ob cibum vel pulsa ab aliquo hæc faciat: nam sic, nihil demonstratur.

Deinde capit duos lapides quadratos in formam aleæ, & in altero eorũ ponit aliquid smaragdi, & radicis artemisiæ, & mandragoræ, & inaurauit ipsum, & signauit in sex eius faciebus A, B, C, D, E, F, vnamquamq; seiunctá ab alia, vt in prima facie A: In secunda, B: & in vnaquaque hoc signum X: & appellauit hunc, primum calculum. *Sortes.*

In secundo auté signauit 1, 2, 3, 4, 5, 6, sicut in aleis, sed ponit numerum pro punctis: & similiter illum characteré, & appellauit secundũ. Deinde dixit considera cogitationẽ tuá, & iter tuum, & similiter auis qualitatem & quòd non crocitat, nec garrit propter aliquem,

& iactabis ſortes, videlicet ſupradictos calculos, & ſecundum vnumquodq; genus obſerua quædam propria: nam cùm vox ſit ex aere, ab aere etiam excipitur eius proprietas: calculi autem iactantur in aere, igitur in calculis demonſtratur. Ponit igitur primò ſignum marinum, ſecundò viperam, deinde quædam animalia incognita, pòſt gryphonem, cuius vocẽ plumbo aqua pleno iubet excipi aure ſuperpoſita: pòſt cornices, in quibus picem iubet lapillis adiici: pòſt cignos, in quibus terram lapillis iubet addi: in pauone ſaphirum in ore teneri, in anſeribus domeſticis radicem herbæ trinitatis, in ſylueſtribus radicem adiicit herbæ habentis folia quatuor, in paſſeribus radicem habentis folia viginti: adiicies calculis, & annulum habebis ferreum in digito annulari: pro canibus annulum argenteum minimo digito impone, & radicem herbę eis proprię calculis adde.

Expoſuit autem ſortes tribus modis:

Primus, vt intelligatur vox, vt in Pauone, & Gryphone.

Secundus, vt vna auis de grege operetur ſimilitudinem ſignificati: ut ſi loquatur de ſubmerſione, vna auis merget ſe in aquam, & hic modus eſt auium gregatim volantium, vt paſſerum & coturnicum.

Tertius modus eſt, vt calculorum ſors exponatur, ut infrà.

A. 1. De diſcordia futura.

A. 2. De proximo igne.

A. 3. De pace.
A. 4. De bello proximo.
A. 5. De ſe loquitur mœrens.
A. 6. De mortalitate hominum.
B. 1. De aſpera hyeme.
B. 2. De eccleſiaſtica diſcordia.
B. 3. De ruſticorum morte.
B. 4. De loquitur irato.
B. 5. De Rege mortuo.
B. 6. De interfectione principis.
C. 1. De aquarum inundatione.
C. 2. De mala fera.
C. 3. De Apoſtolica morte.
C. 4. De ſe quod morietur citò.
C. 5. De hyeme infirma.
C. 6. De nauium periclitatione.
D. 1. De magnis tempeſtatibus.
D. 2. De victoria Saracenorum.
D. 3. De victoria contra infideles.
D. 4. De diſcordia Regis cum Pontifice.
D. 5. De interfectione Chriſtianorum.
D. 6. De deſtructione locorum.
E. 1. De proxima morte eius qui iactat.
E. 2. De amittendis pennis ſuis.
E. 3. De perditione vinearum.
E. 4. De vento generali.
E. 5. De interfectione naturæ.
E. 6. De peſte in porcis.
F. 1. De equorum mortalitate.
F. 2. De graui ciuitatum perſecutione.
F. 3. De captiuitate caſtrorum.
F. 4. De morte acerdotum.

F. 5.

F. 5. De puniendo fure.
F. 6. De morte animalis loquentis.

Et horum omnium euentum dicit tempus intra annum terminari. Alium modum dixit cognoſcendi volucrum voces: & dixit, pone aliquid ex radice mandragorę & piretri in ambas aures, & habeas annulari ſiniſtræ manus annulum ferreum cum gemma ex pice, & folium pini in ore, & virgam ferream cum aculeo aureo in dextra, cum quo pungat folium quod in ore habet cum vocem auis audit, & ſubito intelliget. Pòſt dixit de herbis rem ſanè ridiculam & iocoſam, & eſt. Computa omnes dies à principio infirmitatis cuius vis, & radicem habentis tot folia, ſiue à natura, ſiue à caſu annecte patienti, & curabitur. Si verò herbam nō inueneris tot folia habentem, aggrega radices herbarum plurium, quarū folia ad vnguem impleant numerum dierum ægritudinis, & annecte patienti. Poſt hæc docuit lapidem philoſophorum ad aurum faciendum ſic, vt nō ſit combuſtibilis, nec compoſitus ex combuſtibilibus, cuius operatio eſt facilis, ſi alta aſcendere poteris. Accipies enim leonem viridem, fumum album, & aquam fœtidá, deinde ſolue, fac calcem, fige, liqua, ſublima, donec ſeruus rubicundus fuerit cū candida vxore: nam cum calx facta albeſcit, cum ſublimatum euolat, opus perfectū eſt. Poſtmodū docet pręterita, pręſentia & futura, dicens primo ſic. In Dei beneficiis acquirēdis, omnes ſecundum quod bonū eſt, aut malum, à ſecreto eius ortum

Voces auiū.

Lapis philoſophiæ.

Præcepta ad mirabilia.

ortum habẽt: qui licet diuersis temporibus diuersa distribuat, omnia tamen partitur æqualiter, licet homini aliter videatur: de cunctis igitur tam bonis quàm malis, gratias ei agere tenemur. Postmodum subiungit, mundus secundus à primo cognoscitur, quia quod infra spatium suum operatur medietas, illud idem intra minoris spatij metam operatur æqualitas. Postmodum dixit, numerus vniuscuiusq; à se ipso habetur: nam cum homo oritur, illo temporis momento elementa permiscentur, communicãtia omnibus reliquis partibus elementorum vsq; ad cœlum, vnde cunctorum fit particeps. Hæc tria certé præcepta, inter tot vanitates admirabilia sunt. Postmodum fecit instrumentum, & præparauit hoc modo cum vasis, vase terreo præterita cognoscuntur, æreo præsentia, vitreo futura. Disponuntur & alio modo sic, vt loco terrei habeas argenteũ vas vino plenum, & æreum oleo, & vitreum aqua: & tunc in vitreo videbis pręsentia, in ęreo præterita, in argenteo futura. Si igitur volueris inspicere præterita, pone primũ vas æreum, secundũ vitreũ, tertium argenteũ: si verò præsentia scire vis, pone primũ vas vitreũ, secundum argenteum, tertium æreum: si futura pone vas primùm argenteum, secundum vitreum, tertium æreum. Et postmodũ inspice tertium, deinde secundum, deinde primũ, & fac vt lux cadat secundum ordinem inspiciendi: si verò vasa sint terrea, vitrea, & ærea, obserua ordinem in præterito, secundum li-

quores hoc modo, primùm sit terreum, secundum æreum, tertium vitreum, vt in figura, & sic de aliis videndis: In futuro ante pone vitreum, secundum æreum, tertium terreum. Et in præsenti pone æreum primum, vitreum secundum, & tertium terreum. Deinde obserua bis vt discus sit colore viridi pictus, & gladius sit vt illi, quibus vites putãtur. Et in fundo vasis vitrei, sit limbus ex vitro claro, & in fundo argentei lapis onychinus, & in æreo limbus ex viridi vitro, & in terreo myrrha in fundo vasis, & vasa sint valde munda, & vitreus sit coopertus panno lineo, albo, mundo: & quando operaris cum terreo, non operaberis cum argenteo, nec contrà. Itaq; debent esse tantùm tria vasa, & sit in loco aprico, & tempus sit valde serenum, & fuerit iam per dies tres antè, & in die operare cum sole, & in nocte cum luna vel cum claritate syderum: & sit ibi silentium magnum, & operator totus candido vestitus, facie autem & capite rubeo serico, vel lino totus velatus, vt tantum oculi appareant, & sic omnia splendeant in nocte cum rubedine, & in die cum candore. Et si tempus etiam sit vernum, spargantur flores candidissimi diuersarum specierum: & in die operamur etiá cum vase ligneo loco terrei, & liquores sint lympidi, & mundi, & ponitur liquor vini, & non vinum, & fortè intelligit per liquorem vini, vinum valde clarum aut aquam vitæ: quòd si nõ habeatur vini liquor, ponatur aqua quæ pluit sine tonitru; & scias quod nulla vasa debent

esse

esse plena, minus tamen vitreum, quod debet esse tantùm plenum medium aqua, vt res etiã in vacuo appareat: & in vitreum vas aspicies à latere, quia coopertum est, & in reliqua à superioribus: & dixit, si vasa terrea & ærea & argentea essent perforata, vt melius possent lumen excipere, non esset malum: & talia vasa debent esse lato orificio, vitreum autem non refert: In aqua autem videtur vmbra rei, in oleo figura, in vino res ipsa: & ita compleuit hãc delusionem. Post hæc declarauit tredecim experimenta, & sunt hęc. Primum inuenitur herba in finibus Indiæ, quæ habet folia tria, sed cum ponitur in aqua, non habet nisi vnum, id est non videtur: hæc refert Deum, qui cùm trinus sit, cùm tamen ponitur in aqua, quæ est intellectus considerantis, est tantùm vnus. Secũdum est si quis miscuerit sudorem quatuor passionum à quatuor humoribus factarum cum terra, ita quod coadunetur, deinde describat nomen bestiæ aut hominis in ea, tuncque proiiciant nomen illud in terram, videbit imaginem illius, cuius imaginem scripsit. Tertiũ, si acceperis vas æreũ & scripseris cum auro & equi sanguine hos characteres XD^c AXX vel hos X∞XX dicendo comitog, donec velis illud agere, deinde impleas vas semine papaueris, & proieceris super ipsum thus, apparebũt ibi milites diuersi generis, qui pręliabuntur sub quacunque forma qua volueris, nec desinet tale prælium donec semen proieceris: dicitq; quod hoc est experimentum

Cardani iudicium temerarium.

Experimenta xiij.

Experimentū Bellerophontis.

Bellerophontis. Quartum, quòd si impleueris vas argenteum aqua, & inspexeris in ipsum cum lumine candelæ, in radiis lunæ lucentis cum cultro lucido, à quo in aquam lumen resplendeat, dicitq; quòd videbis figuram eius cuius vis. Et nota quòd in tribus vasis descriptis in figura est appositus cultellus splendēs, quia in illa operatione, oportet vt radii solis aut lunę cadant super gladium, quem in manu dextra teneas, & ab eo in ipsum vas in quod inspicere vis. Obserua secundò, quod expectes lumen syderum per foramina: & hoc quia non cadet super tria vasa simul, & facies tria sic versa secundum positionem circulorum in parte Solis aut Lunæ aut stellarum in sua medietate vel quarta. Obserua tertiò, vt candelæ sint positæ ante vas versus lignum, vnaquæque ante vas suum, inter lignū & vas: & prima & secunda inter primum & secundum vas: & tertia inter secundum & tertium vas. Et primum vas pro nunc appellat vas, in quod primò ingrediuntur radii solis aut lunæ aut stellarum facientium vmbram, velut est Lucifer & Pleiades. Obserua quartò, quod populea virga est illa, qua circulus designatur, & quæ indicat vasa in vasis, & quæ ponitur ad pedem vasorum super discum, ita vt pars excorticata sit versus vinum. Quintò & vltimò obserua, quod radix cucurbite ponitur super discum, & ipsa adiicit facilitatem & velocitatem propter naturā suā. Quintum experimētum est, vt seces radicem vrticæ, & pulueriza, & pone eam in vas æreū

&

& ſit paruum, & fac ſuper ipſum has literas: rex rex, ce, cor, cor, bon, veul thened, marac: vel ſic exceco corbonet: & habeas inde Chalcedonium lapidem: quicunq; præſentes aderunt, rem videbunt quam nominaueris. Sextum experimentum eſt, accipe ſcyphũ vino plenum, & cũ ſapphiro deſcribe hæc ſigna [illegible] & expone Soli, in quacunq; re quam interrogaueris, ſi ferueat, malum: ſin autem paulatim exierit, bonum: ſi igitur de vita interroganti ferueat, morietur. Septimum experimentum, accipe cornu cerui, & in eo aqua pleno fac hos characteres d X Z & pone ad ſolem: ſi rumpitur, res malum habebit exitũ, ſi aqua exit, bonum. Octauum experimentum, accipe laminam plumbi rotundam concauam, & imple eam aqua, & pone ad radios ſyderis, & videbis ſicut in vitro interrogatorũ ſpeciem. Nonum, habeas in ore topaciũ cum folio abrotani & perſequere ferá donec eam videas, & ſubito expue quod habes in ore in pannũ ſericeum, & liga eum firmiter, & proiice verſus feram dicendo alta voce. Grabaton, vlion, adonai: & hoc ter, nec fera ſe mouebit à loco in quo eam vidiſti. Decimum, circa vaſa tria, quę ſunt, æreum, vitreum, terreum, pone imaginẽ maſculinam iuxta terreum, & nomen maſculinum in vaſe vitreo: & fœmininum in terreo, & videbis quodcunque volueris de maſculo vel fœmina, cuius nomen in vas impoſuiſti. Vndecimum fac imagines ex cera cum capitibus vacuis, vnam maſculinam & aliam fœ-

mininá, & pone aliquid de sanguine humano super eas, & imple capita earum seminibus papaueris, & proiice vnam in terram, aut ambas, & apparebunt tot homines aut fœminæ quot sunt semina sparsa, qui uel quæ videbuntur facere imperata tua. Duodecimum in his qui cadunt morbo caduco, fodiunt locum primi casus, & imponunt tres clauos profundè, donec omnes cooperiantur à terra & non appareát, & nominant nomen eius qui patitur, & sanatur. Decimum tertium experimentum inuocationis tale, accipe vas terræ in modum nucis magnæ, & claude ibi aquam, & scribe hæc signá ibi [symbols]: deinde ponat vas in sole, & dicat hæc verba: Cereteus validus, Cereteus obidus, Cereteus pessimus, Cereteus calidus, vel medius (in alio exemplari Cereteus omnis Cereteus familius) deinde interroget de quacunq; re voluerit, responsum habebit. hæc ille. Post hæc etiam posuit virtutes quarundam herbarum, quarum proprietas est ad appellandum dæmones, ad faciẽdum aurum, ad prolongandum vitam, quam produxerit Artephius sibi ipse ad annos 1025. quæ si scriptum sequamur, non solùm incredibilia videntur, sed ridicula, verum si sententiam parabolicam, non abhorreo omninò à fide sapientum.

De

De Cabala numerali.

SVbſequatur itaq; inſtitutionem magicã, Cabaliſtica, quæ videtur eſſe alia magices factio Moſi à Plinio tributa, cuius fundamenta iacta ſunt tantùm cap. precedenti: nempe illam in numerorũ vi conſiſtere: inter quos ternarius & denarius ſunt formales, reliqui materiales. Audiamus de ternario priſcorum myſteria: Proclus Trinitatis ducalis Iupiter eſt ſubſtãtificatiuus, Neptunus viuificatiuus, Pluto conuerſiuus. hîc nota duces nominari in Steganographia poſt principes ſpiritus.

Proclus de ternario myſtico.

Leo Suauius

Tertia Trinitas deorum ſupermundanorũ dicitur Apollo, & conuerſiuum ei appropriatur. Trinitatem Proſerpinæ comitantur à latere trinitas cuſtoditiua & conſeruatiua.

Sicut prima trinitas poſt vnitatem eſt omnia intelligibiliter commenſurare & finiformiter (fortè finitiformiter) ita ſecunda trinitas eſt omnia vitaliter, verè & infinitiformiter, tertia eſt omne ſecundum mixti proprietatẽ & pulchriformiter.

Prima trinitas manet tantùm (an manat?) ſecunda manet & procedit, tertia poſt proceſſum conuertit. Contentiua proprietas eſt medij ordinis ſecundæ trinitatis, qui in Phedro cœleſtis dicitur circunductus. Nota de hac cõtentrice facultate Arnaldum in paraphraſi philoſophica, & Io. de Grauia in cap. Roſarij de diſſolutionis regimine.

Leo Suauius

Secunda trinitas hebdomadis intellectua-

lis est trinitas, curetum, quos vocat theologia intemeratos Deos. At inter extremales paternos Deos Saturnum & Iouem, mediat necessariò (Rhea per proprietatem vitæ fœcundæ, an secundæ?)

Ambrosia nectar. Ambrosia autem est analoga termino, & nectar infinito.

Leo Suauius Quidam interpretarentur Ambrosiam de materia operis fundamentali, & nectar de liquore qui Cornucopiæ dicitur: à quo multiplicatio fit quodammodo in infinitũ. De quo scitum illud epigramma ab Hermolao Barbaro in sepulchro lapideo repertũ, cap. de aqua in Dioscoridem.

Plutoni hoc sacrum munus ne attingite fures,
Ignotum est vobis hoc quod in orbe latet.
Namq; elementa graui clausit digesta labore.
Vase sub hoc modico maximus Olybius.
Adsit fœcundo custos tibi copia cornu,
Ne pretium tentati depereat laticis.

Leo Suauius Hìc vides lector Plutonem conuersiuum, hìc custoditiuam seu conseruatiuam virtutem, hìc nectaris infinitatem.

IN CAP. VIII.

Paracelsus hoc cap. viij. differit de magia multiplici, nempe de vera magorũ euangelicorum & Archei (seu Archelai) imitatoris, & de falsa. Vera autem est duplex, vna *Magia vitæ.* vitæ longæ, altera intellectus præter naturam *Magia intellectus.* id est quæ spectat corpus nostrum supernaturale.

rale, vel animam supernaturalem, cui cum vita inest sapientia. Falsa magia, quantum ad longam vitam, par est veræ, sed quantum ad rationem & qualitatem transformationis, dispar: quia licet ætatem nanciscatur diuturnam, tamen id fit in forma corporis nõ veri, sed phantastici. Magiæ autem distinctio in vitam & intellectum consentit cum duabus paradisi arboribus, scilicet ligno vitæ & ligno scientiæ boni & mali. Est tertia velut quædam magia, qua quis vitam producit suam adminiculo vitæ alienæ: cuius Syrus præbet exemplum, vt Mahumet primæ magiæ vitæ: Et Archelaus (qui inter principes Pythagoricæ scholæ philosophos ab Arnaldo Villanouano memoratur) post Sabæos magus non solum vitæ longæ, verumetiam intellectus.

Magia corporis phantastici.

Leo Suauius

Magia vitæ longæ auxilio alienæ.

Mahumet.

Archelaus.

(Sabęos autem ductu stellæ magico, id est cœlesti venisse intelligendum est: stellæ inquam fortè secũdę vt cometę diuinitùs ob id creati, quo locus posset propinquius indicari) Vt falsæ magiæ in ratione metamorphosis, Ierellus: vt transformationis extra propriã vitam phocæ seu lupi marini: de quibus quum scriptores quotquot extant perlegissem, reperio Lupum marinum ex Alberto magno & gentium maritimarum consensu secundum Rondelletium, Saluianum, Bellonium, Gesnerum, Phocam esse amphiuium animal, speciei & voracitate horribili, in mari degens, sed quod aerem hauriat & dormiat in terra: egressumque in eam pariat in littore: quod tamen diutius

Ierellus.

Magia.

Vitæ longæ extra propriam.

Phoca seu lupus marinus.

in mari quàm in terra immoretur, cibumq; ex humore petat: ob boatum quem edit, Phocam Virgilius nominauit.

Leo Suauius. Lege ergò hoc loco, fiunt metamorphoses huiusmodi citra longam vitam, quamuis propriam dicere posſimus (quia à priſtina forma transmutatos lupos marinos exiſtimat) ſed citra longam rectè, quoniam ſi reſtituantur in priſtinam formam, videlicet humanam, mortalitate rurſus fiunt obnoxij. *Arioſtus.* Talia monſtra horrenda ingentia depingunt libri vulgares fabuloſi ſub Orcarum nomine. *Animi ac imaginationis vis.* Modus autem attractionis tam vitæ alienæ à Syro, quàm intellectus ſeu prudentiæ ab Archaſa (ſeu Archelao) conſiſtit in imaginatione, de qua multa Bacho in hoc eodem argumento: imaginationem tamen plæriq; libentius de imaginum confectione cœleſtium hîc exponerent. Attractionem hanc (ſi vera eſt) ſequitur neceſſariò tranſcorporatio animarum, quam Io. Picus perhibet, omnes ſapientes credidiſſe Indorum, Perſarum, Aegyptiorum & Chaldæorũ. A' quo hoc addam de transformatione: „ Nullus ſpiritus habens ſex alas vnquam transfor„ matur. Tanta (inquit) vis eſt animi, in quo ſupernaturalis ille vigor exiſtit, vt aliquoties &c. Sic Virgilius cecinit.

Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo.

De internecione ſeu cæde per imaginationem illata, extat Apologia Apulei: ex Chaldæis autem, forma totius magicæ virtutis eſt ab anima ſtante & non cadente. Quidam magus

gus hæc: In nobis ipsis est omnium mirabilium effectuum operator.

Nos habitat, non tartara, sed nec sydera cœli:
Spiritus in nobis qui viget, illa facit.

Is est qui protestatus se libros edere magicos, claue tamen operis solis amicis reseruata. Hinc censet Tritemius in quæstionibus, scriptum de impuris hominibus à cognitione rerum sacrarum & arduarum procul abigendis: Bestia quæ tetigerit montem, lapidibus obruatur: vbi subijcit. Sunt qui dicant mentem siue spiritum ipsius hominis posse naturaliter miranda facere, modò sciat se ab omni aduentitio in seipsum supra sensum in vnitatem reuocare. Confirmat hoc Augerius Ferrarius, miraculaq; edi posse ait per vim animi humani, vt quùm Apollonius (in Philostrato) se in animi secessum (quę est vnitas hæc Tritemiana) recepisset. Excitatur illa vel accenditur ab humore melancholico: quo melanagogis purgato scribit P. Pomponati9, sępe magica opera in dæmoniacis seu potius maniacis cessauisse. Vidi ego experimentum corporei ponderis mentis operatione alleuati. anima sua naturali potestate, vt ita dixerim, quasi liberè quandoque vtitur, quùm ligatis sensibus carnis extrà domicilium corporis euagatur. Haud enim credimus ista incredibilia sapientibus, qui mentis humanæ virtutem & nobilitatem optimè intellexerunt, vt pote quæ solo corporis interiectu remorata, in reliquo par angelis exi

Tritemius in quæst.

Augerius Ferrarius.

Pōponatius.
Tritemius.

ſtimatur. Faſcinationum deniq; & varios modos pertranſimus, & genera quibus ad externa furioſus animus valdè mirandos operatur effectus. Multa etiam poteſt ad producendos mirabiles effectus fortiſsimè confidentis imaginatio in verum, ſiue in æſtimatum feratur obiectum. Vndè quum tot ſint operandi miranda & genera & modi, non eſt mirum ſi etiam ethnici vel dæmonum ſuffragio, vel artificioſa induſtria ea committunt.

Paracelſus. Donauerunt Venus & Saturnus, Mars atq; „ Mercurius, in ſuperiori firmamento curſum „ ſuum exercentes pleroſq; mortales immorta„ litate: Cur dixerit curſum in firmamento ſuperiori, docetur lib. iij. in conuerſione anni ad Phœnicis ætatem. Sub planetarum autem nominibus intelligit intelligentias eorum motrices. Ex quibus non pauci cum in aquis tùm in „ terris exiſtunt viſibiles & inuiſibiles &c. neq; „ prorſus nymphæ.

„ *Tritemius de dæmonum generibus in lib. quæſtionum ad ad Maxim. Cæſarem.* Deſcripſimus dæmonum genera ſecundum elementa in compendio noſtro, ex lib. phiſophiæ ad Athenienſes, quæ non diſcrepant ab opinione antiquorum ſapientum atq; theologorum. Nunc ex collatione Tritemij in quæſtionibus, enumerationem eorum ampliorem audietis, quo intelligatis diſcipulum Theophraſtum ex magiſtro.

Genus dæmonum. Multa ſunt genera dæmonum, & certis inter ſe gradibus diſtant, ratione locorum in quæ cadentes à principio ſunt detruſi. Primũ quidem genus dęmonum apppellatur Igneũ,

quod

quod circa superiorem peruagatur aerem, nec vnquam ante iudicij diem ad inferiora demerguntur, sed continuè sub regionibus permanentes lunaribus, nullum habent cum hominibus in terra commertium. Quod verò sub luna permaneant, sanctus testatur Augus. in opere de Agone Christiano, sic dicens. Dæmones non habitant in cœlo vbi sol & stellæ sunt, sed omnes sub regione lunari versantur. Hinc motus vt reor Apuleius dæmonia dixit animalia esse ignita, propterea quod Aristoteles confirmauit in fornacibus ardentibus quędam animalia parua sæpius visa volitasse pennulis apta, quæ totum æuum suum diuersantur in igne, quoniam cum igne oriuntur, & cum eo extinguntur, & ad suum vnde venerant locum euanescentes redeunt: nulla sunt eis cũ maleficis cõsortia, quoniã cũ demorẽtur in igne propter subtilitatem suam, non possunt corpus induere crassum siue aereum. Secundum genus aereum dicitur quod in aere oberrans nobis propinquo commoratur. Hi quidem possunt ad inferiora descendere & assumptis ex crassiore aere corporibus, quandoque visibiles hominibus apparere. Aera Deo permittente sæpius turbant, tonitrua & tempestates concitant, & omnes simul in perniciem humani generis conspirant: more hominum affectionibus mouentur passionum: superbia maxime & inuidia tanguntur q; perturbationibus continuis, & nec solido vestiuntur corpore, nec vno consistũt loco. Neq;

D. August.

Genus ij.

vnam omnes formam habent, sed plurimas, easq; sæpius mutāt, secundum varietatem affectionum quibus vel occurrunt maleficarū carminibus euocati, vel impulsi perturbatione ad nocendum: habent enim omnino violentum & furiosum morem turbationibus plenum, vnde vehementer facti & perturbati repentinas plurimùm machinantur insidias, & dum suas agunt incursiones partim latere uolunt, partim inferunt violentiam. Maleficæ horum dæmonum cooperatione suffultæ tantò sunt ad maleficandum potentiores, quanto superiorem ex eorum ordine concurrentem fuerunt assequutæ. In vita sancti Antonij, diuus Athanasius aerem plenum dixit esse dæmonibus, quod Mercurius antea dixerat Termaximus: nullam videlicet mundi partem dæmonum præsentia destitutam. Sanctus quoq; præsul Ambrosius dicit: Plenus est mundus sanctarum virtutum, quia plenus est nequitiarum. Vnde Platonici dæmones in aere volantes in mundū densissimæ niuis ignitæ cupientibus tradidere visibiles, si aliquandiu versus cœlum sole splendente irreuerberatis oculis continuauerint obtutus. Sed nescio an in aere causetur obiectum ex consistentia reali, vel certè oculorum motus interclusus repræsentet imagines falsas non sine detrimento sensus, tamen leui: præmissorum feci experimentum. Tertium verò genus dæmonum terrestrium dicimus, quos prolapsos è cœlo in terram pro suis demeritis minimè dubitamus.

Athanasius.

Ambrosius.

Genus iij.

De

De ijs sanctissimus præsul & martyr Christi Theophorus quondam Egnatius in epistola quadam ita scribit ad Ephesios: Nihil melius est quàm pacem habere, in qua omne telum euacuatur aereorum simul & terrestrium spirituum. Ex ijs autem dæmonibus alii versantur in syluis atq; nemoribus qui venatoribus ponunt insidias, alii verò patulis degunt in campis, qui nocte oberrare faciunt itinerantes, nonnulli commorantur in locis abditis atque cauernis, reliqui cœteris minus furiosi & perturbati, demorari cum hominibus in obscuro delectantur. Non vno ducuntur affectu sed vario, quoniam alii sunt aliis minus deprauati, quanquam omnes sunt malis perturbationibus pleni. Ex iis quidam solis gaudent illusionibus territare homines: alii prædictionibus futurorum in admirationem sui trahere cupiunt audientes: nonnulli verò ad hoc summo conatu laborant, vt homines irrationabili furore turbatos aut melancholia furentes terreant, lædant, vel occidant, quod experientia sæpius factum agnouimus. Hinc sanctus Ioannes Chrysostomus in tertio libro de Prouidentia ad Stagyrium monachum dicit. Omni actione diabolica potentior est ad nocendum mœroris magnitudo, quia dæmon quoscunq; superat per mœrorem superat. Eum si auferas, nihil à dæmone quisquam lædi poterit. Hoc autem dæmonum genus rarò est maleficis familiare, propter inconstantiam affectionum & leuitatem, qua territare multos gaudent po

Egnatius.

Chrysostom.

tius, quàm vnius mulierculæ subesse imperio. Commorantur tamen interdum vt pollicentur vesanis in vitro vel in chrystallo siue in speculo, & carminibus concitati responsa dant mulieribus: & si quis venturus eis male dixisset in via pronunciant. Et hoc maleficarum genus aliquoties differt à reliquis, quoniã quod ille maleficio reddunt infirmum, istæ curare pollicentur. Verum quia maleficium vt plurimum repellunt maleficio, earum accessus interdicitur ab ecclesia omni Christiano. Quartum genus dæmonum, nuncupatur aquaticũ, quoniam se humoribus immergens circa lacus & fluuios habitat, ira plenum turbarum inquietum & fraudulentũ, quod in mari tempestates concitat, nauigiaq; demergens in profundum, multis vitã aufert in aquis. Et isti dæmones quoties assumunt corpus visibile, in sexu frequentius apparent fœmineo, & in masculino rarius videntur, propterea quod, in locis versantur humidis, & meliorem vitæ ductum sequuntur: nec vile schema facilè cæterorum consuetudine possunt assumere, vnde naiadas nereidasq; aquarũ nymphas non masculino sexu: sed fœminino dudũ nominauit antiquitas: à nostris autem aquaticę mulieres, id est, wasserfrauwen, communi vocabulo dicuntur. Qui verò habitant in locis siccioribus & subaridis, quoties hominibus corporaliter apparent, visibiles in viros se transformant. Diuersarum quoque species assumunt bestiarum, prout variis tanguntur affectionibus.

Genus iiij.

Sancti

Sancti autem angeli quoniam affectione nunquam variantur, vniformiter semper apparēt in forma virili. At verò sæpius visi sunt dæmones circa flumina & fontes in specie mulierū, aliquando chorisantes, aliquādo capillos more fœminarum explicantes, nonnunquam verò cum hominibus loquentes & varias ludificationes exercentes, & hoc genus dæmonum non consueuit cum maleficis habere commertium. Quintum genus subterraneum dicitur, quod in speluncis & cauernis montiumque remotis concauitatibus demoratur. Et isti dæmones affectione sunt pessimi, eosque inuadunt maximè qui puteos & metalla fodiunt, & qui thesauros in terra latentes quærunt, in perniciem humani generis paratissimi. Hiatus efficiunt terræ ventosque flammiuomos suscitant, & fundamenta ædificiorum concutiunt. Noctu aliquando de montibus turmatim egressi stupendas in campis ducunt choreas, & quasi vnius ducis metuentes imperiū, subitò euanescunt ad signum, & ad sua diuerticula reuertuntur. Interdum Nolarum inter eos auditur sonitus, & se nonnunquam spiritus esse hominum vita defunctorū mentiuntur. Nihil magis quærunt quàm metum hominum, & admirationem. Vnde habemus compertum, quòd simpliciores hominum quosdā nonnunquam in sua latibula montium duxerunt stupenda mirantibus ostendontes spectacula, & quasi beatorum ibi sint mansiones amicos se viuorum mentiuntur. Ex his quoq;

Genus v.

dæmonibus quidam incubones ſunt theſaurorũ, quos auaritia mortalium abſcondit in terram,& ne rurſus in vſus perueniant hominum,eos ſubducunt, furantur & cuſtodiunt, & quandoque de loco in locum tranſponunt. Et hoc genus dæmonum cum maleficis mulieribus nullum conſueuit habere cõmerciũ.

Genus vi. dæmonum. Sextum verò dæmonum genus appellatur Lucifugum, propterea quod lucem maximè horrent & deteſtantur: quia nec de die vnquá apparent,nec alio modo corpus quàm de nocte poſſunt aſſumere. Hoc eſt negotium quod in tenebris perambulat,genus dæmonum im perſcrutabile ac penitùs tenebroſum, paſsionibusq; frigidis agitatum:malicioſum,inquietum & perturbatum,quod occurrentes homines nocturnis violenter comprimit horis,ſæpiusq; (Deo permittente) aut flatu quoſdam interficit aut contactu. Maleficis non conuenit hoc genus dæmonum, neque carminibus arctari poteſt,quia & lucem fugit,voces hominum ſimulq; omnem tumultum. Aereum maximè ad maleficia fœminarum conſueuit occurrere;quoniam cæteris magis eſt ſubtile & audacisſimæ temeritatis. Terreſtrium quoq; nonnulli maleficis(vt dictum eſt) ſubſeruiũt, qui tamen inferiori gradu habiti, maiora illa maleficia inducere minimè poſſunt. Tantùm

Leo Suauius adiiciemus: eos qui iſta omnia ad chymicam artem referunt:ſic interpretari Mars & Venus in firmamento, id eſt, fermento exercentes curſum,id eſt regimen, accedentibus imagi-

gina-

ginationibus, id eſt, ſpiritu particulari. In terris viſibiles, id eſt, in calce: in aquis inuiſibiles, id eſt, in liquore diſſolutiuo ante coagulationem. Neque prorſus nymphæ, id eſt, non argentum viuum tantùm, quia ſulphur eſt immixtum, quod terram ſubtilem continet, vt libro III. de Elementis duplatis. Hæc Tritemius: ex quibus via ſternatur, ad cognitionem tam Steganographiæ ipſius, quàm philoſophiæ Paracelſi.

SCHOLIORVM LEONIS Suauij I. G. P. in lib. I. da Vita longa

FINIS.

IN LIB. II. TH. PARACELSI DE VITA LONGA LEONIS SVAVII I. G. P. Scholia.

Scholia in præfationem Paracelsi.



QVanquã Paracelſus hîc dicat, quæ lib. I. de Vita longa tractauit in genere, ſeſe lib. II. tractaturum in ſpecie: non eſt intelligendum de materia ipſa totius lib. I. quæ tantùm abſoluitur lib. IIII. vt ipſe in eo præfatur, ſed de ſpecificis remediis & morborum generibus, quæ præſtrinxit cap. III. lib. I. quæ quidẽ dixit pertinere ad vitam breuem non longam. Eam enim incolumen perſtare etiam cum cruciatu membrorum, vt perſpicuum eſt, maximè in podagra: qua affecti dicuntur vitam degere diuturnam, vel quòd is morbus partes vitales nõ afficiat, quę pectoris (vt vulgus loquitur) ſcrinio continentur, vel quòd natura ſeu Archæus, ſecundùm Paracelſum, eò tanquam in ſentinam ſordes corporis omnes deriuet. Nunc ergo quæ obiter Theophraſtus noſter attigit lib. I. de Morbis particularibus, hoc libro II. abſoluet.

De podagra non officiente vitæ lõgæ.

Integram autem & ſanam vitam longæ præferas neceſſe eſt.

Intellige reipſa vitam ſanam eſſe præferendam tanquam fundamentum, longæ: quãuis morbos vitæ ſanæ contrarios dixerit non officere vitæ longæ. Sed hoc de particularium

morbis

morbis membrorum accipies: artem verò vitæ præter naturam statues multò esse præstantiorem ea, quæ ad vitam sanam atq; integram à medicis veteribus diligenter & subtiliter conscripta est, vt Rogerius etiam Bacho confitetur. Ad hanc adhibet virtutem arcani, deinde balsamum.

Ad vitã integram, Arcanum & Balsamum.

Balsamum conseruat corpus firmum, arcanum à corruptione restituit corpus infirmum.

Arcanum exponit lib. de Gradibus, quãdo tanquã in arcana includuntur omnes species ad morbum conficiendum vtiles. Itaque ratione morbi particularis, hæc medendi ratio singularis nuncupatur, sed alia ratione, id est rerum omnium in remedio comprehensarũ vniuersalis meritò dici potest. Hîc sunt omnes species sub vno genere conclusæ: At communius quoddam est arcanum quod omnia genera complectitur vt Cheiri & Saphiricus Anthos: de quibus ait se tractasse copiosè in libro qui Archidoxa Parrhisia, inscribitur. In qua re laudat tincturam lapidis philosophici quæ sicut ignis instar (secundum Lullium) corripit metallum, ita similiter operatur in humoribus scilicet scorias detrahendo, purumque subiectum relinquendo. Cheiri autem & Anthos explicat esse aurum potabile V. essentiam: verbo inaudito, quemadmodum æmuli Arnaldi, id est Lullius atque alii sub lunaria tradiderunt. Cheiri ergò est virtus arcani. Lunaria autem, secundum Marsilium Ficinum, est herba à Mercurio tradita foliis cæruleis atque ro-

Cheiri. Sapphirus, Anthos.

tundis, crescente luna, vnum quotidiè producens folium, decrescente, deponens: quę vtenti annos promittit lunares. Iam dilucidius singula in præfatione excutiamus.

Longè, Lego, longæ, scilicet vitæ: quia sana est fundamentum longæ, quæ, illa diruta, corruat necesse est.

Virtus arcani, Sumitur interius, balsami adhibetur externis.

Firmum conseruandum, Potest intelligi de corpore perfecto quod Spagyri iubent tractari & dissolui sub conseruatione speciei.

Canonem medicum, His verbis vtitur, quia Spagyri appellant opus suum medicinam & regimina operis, magisteria vel operationes præparationum, vt sunt calcinatio, solutio, & cætera.

Congeruntur, Opus aiunt magnum dici vniuersale, & conuertere omnia indiscriminatim, vnde argumentũ est illi omnia inesse, per Treuisanum & Io. Valentianum.

Treuisanus. Io. Valentianus.

Commune quiddam, Non inuenio meliorem interpretationem, quàm ex Iamblico de triplici distinctione hermeticæ orationis, scilicet, solaris, lunaris & vniuersalis: nam solaris continet plura particularia, lunaris itidem plura. Deinde est vna solaris generalis, itidem & lunaris: communis autem seu vniuersalis continet & solarem simul & lunarem, tanquam vité rubeam insertam albæ.

Iamblicus.

Archidoxa, Liber est Paracelsi inter complures.

res alios (quorum catalogum deſcripſi) ad quem lectorem remittit in arduis quibuſque rebus.

Egritudo, Rei adminiſtrandæ vel exhibendę impuritas per præparationem tollenda.

Cheiri, & Saphyricum, Anthos, vocabula ſunt ſcita ænigmatis Spagyrici pro argenti eſſentia, & pro auro potabili, vt Anthos ſit flos roriſmarini alous, & Cheiri viola lutea.

Illud, Lego illam, ſcilicet rationem, vel medicinam vtramque, id eſt medicam & chirurgicam artem.

Huius rei, id eſt, Operationis Spagyricæ ſeu chimicæ.

Diſceptatio de Cheiri & lunaria.

Sed de Cheiri & lunaria amplior hîc ineunda eſt diſceptatio. Cheiri enim vox eſt Arabũ, ſicut leucoion vox Græcorum: vtraque violam latinorum exprimit, quæ tamen in genere à Græcis ἴον recta dicitur. Abſurdum autem videtur apud Herbarum ſcriptores leucoion, *Leucoion.* quod albam tantùm propriè ſignificat, ad colores cæruleos, albos, purpureos & luteos promiſcuè transferri: quod Matthiolus in Dioſcoridem ſuboluit. Accepi à medicis non imperitis, luteam quæ ſæpe muralis eſt in regione noſtra, Cheirim propriè appellari ab officinis: quod apprime conueniret ænigmati Paracelſi. Ego verò exiſtimo leucoion à Dioſcoride ſic generaliter accipi pro omni viola maiore: minutas enim quas Martias Galli vocant,

excipio) ratione scilicet habita coloris caulis herbæ ipsius & ramusculi, in viriditate albicantis, quamuis flores sint coloris varij. Cheiri verò quomodo accipiat Paracelsus, habemus ex lib. eius de Grad. Omnes, inquit ablegamus ad vsum & experientiam, pro cognitione virtutis antheræ: præterea Tereniabin in quem insignitur nobilitat: postremò ad florem Cheiri. Nam ibi in annotationibus quas verisimile est ipsius autoris esse, qui precibus Erasmi adductus sic sua ænygmata paucis explicauit, ita legimus: Ablegamus in anthos, in anthera, in thalch. Deinde in fine cap. florem Cheiri, idest, aurum potabile, quod est vltima medicina. Et in ij. lib. cap. x. Inter simplicia quæ interueniente compositione secundum gradum acquirunt. Inseritur cum viola, rosa &c. Anthera. Item cap. viij. lib. ij. Rosa existit rubea & frigidæ naturæ propter antheram in ea delitescentem, quæ calorem rosæ attrahit. Interpretor de flosculis flauis in centro rosæ latentibus: vnde subdit: Præterea vbicumq; est flaua in flore rubeo, illîc etiam existit calor. Sic multos secutus vsurpat prostantibus secũdũ Plinij verba in calycijs rosę medio luteis apicib9: licet alijs cõpositionẽ certá esse malũt ex Gal. lib. vi. de Compos. medicamentorum.

li. de Grad. *Anthera.* *Plinius.* *Matthiolus.* *Galenus.* *Anthos.*

Saphyricum anthos quid sit etiam collige ex alijs eius scriptis, scilicet ex cap. x. lib. I. in quo ab eo annotatum est.

Saphyrus reducitur in liquorem mercurialem, & luna in mercurialẽ, & est prima materia lazuria.

läzuria. ex cap. vi. lib. vlt. In processus ịstitutio "
ne in confortatiuis inter alias exigua virtus "
(quæ omnium est) sumi debet in prima: in se- "
cunda verò quartum genus Tereniabin: in ter "
tia Cheiri: in quarta Saphyrica granata. " *Cheiri.*

Item. cap. viii. eiusdem lib. Notandum quòd "
hîc semel accipiendus est totus maior An- "
thos, nempe qui non ex vna tantùm matrice "
verùm ex quatuor prognat⁹ sit, id qđ de tarto "
ro dici potest. Tartar⁹, ex annotationib. aliis, "
materia calculi, est maior Anthos cõsolidati⁹. *Anthos maior.*

Item paulo post: Eiusmodi est enim Cheiri
quoq;, quæ itidem etiam ex quatuor matrici- "
bus prouenit, quadrupliciaq; in se mimisq; i- "
liastis mysteria continet. "

Iam de lunaria hîc nobis tractandum est, " *Lunaria.*
quæ herba est duplici specie, nisi contradica-
mus magis & minus non distinguere species
ex brocardio iuris à dialectica petito Nã alia
dicitur maior, alia minor. Minorem attigit Ma
thiolus Dioscorides interpres, qui priores tri
bus instrumentis rationis, autoritatis, expe-
rientiæ superauit. Argumento relationis ma-
iorem lunariam indicauit. vtriusq; ego semina
habui, seui, colui, educaui. Maior est bicubita-
lis, foliis vitis pampino simillimis, sed magis
in cordis formam cuneatis, & in superiori
parte foliorum læuore quodam holoserica-
to. Folium habet in folliculis orbiculatum
lunæ plenæ specie, argentei coloris splendo-
risq;, florem luteum. Minor est paulo plus
quàm cubitalis, flore cæruleo. Donaueram

ego herbariis Lutetianis ſemina, ſed hyemis penultimæ rigor ſtirpes propè omnes abſumpſit. De ea videtur ſenſiſſe Augurellus poeta Chryſopeicus.

Quid qui conatur quæſitæ longius herbæ
Inualido aufugiens argentum ſiſtere ſucco
Idq́ gelat duratq́ ſimul, ſed figere nulla
Artę poteſt ictu quo molli ducere poßit.

Sic philoſophi chymici ſibi vendicant lunariam, duce Raymundo Lullio, cuius in ſcriptis eſt frequentiſsima. Recipe, inquit, calcem cuiuſuis corporis & infunde lunariam, &c.

Raymundus Lullius.

Magi ſibi quoque illam aſſerunt, & martagon appellant: aſcribam tamen deſcriptionē illius quam in libello quodā vetuſtiſsimo manuſcripto reperi, poſtquam addidero, mihi videri hæc vocabula (ex annotationibus Paracelſi in cap. X. lib. III.) ſpagyrica non poſſe intelligi niſi ab vſu. & experimēto. Nam Lullius qui lunariam tam libenter vſurpauit, explicari poteſt per poetam Augurellum.

—— cuius miro velamine tectus
Ipſe liquor quo cuncta madent. ——

Addam obiter ex eodem Theophraſto de Grad. Inter ea quæ ex terra calidæ naturæ, ad cerebrum, liquor vitrioli, liquor lunariæ. Deſcriptio autem lunariæ ænigmaticæ hæc eſt, ex codice vetuſtiſsimo. Quidam philoſophorum hanc diuinam ſcientiam herbis aliisq́; vegetalibus necnon ſuccis eorum ſimilitudinariè comprobauerunt. Raymund. dicit de arbore philoſophica, quæ ſeptem ramos habet. Eſt

Theophraſtus.

que-

quædam herba siue planta nomine lunaria, siue borissa, cuius radix est terra metallina, stipes eius rubicundus, quadrangularis, nigredine perfusus: folia eius similia maioranæ, & sunt triginta secundum ætatem lunæ, in cremento xv. in decremento xv. Flos eius citrinus post xv. dies. odor eius vt odor musci: In plenilunio fructus eius vt crocus excellentissimus, in nouilunio vel in decremento ex eo acceptus, & in eo impositus Mercurius vertitur in lunam perfectam. Si postea decoctus fuerit sex vicibus vertitur in solem: cuius vna pars centum mutat in solem purissimum. Concludam: Paracelsum lusisse vocabulis fictitiis veterum more Spagyrorum, qui libenter rosam vsurpauerũt propter duplicem eius colorem album & rubrũ, sic eius loco in Th. nostro flos Cheiri ab Hermolao Barbaro 105x15705 lapis rubeus & anthos vt flos albus rorismarini, vt omittam quanta sit in eorum libris roris etiam & maris mentio, alii supposuerunt plantam Hypoquistidos, propter eandem similitudinem duorum colorum. Dicitur etiam coniunctim ἰοναυθος flos violę.

An 31505 quæ dicitur aliis rasilis ærugo.

In Cap.

DE PODAGRA.

MEdicinam podagræ hîc esse duplicem constat, ex confectionibus arcani corallini, & confectionibus auri diuersis, quas exposuimus in Compendio. Podagram distinguimus à gutta, quod hæc sit membrorũ

articularium vt pedum contractio, gutta autē morbus ex humoris cuiusdam stilla interiore dolorem inferentis. Alchali interpretor sal factitiū ex variis rebus (hîc ex causticis) de quo nos multa post Paracelsum in compendio: ratio autem conficiendi sal per artem, quam nullus adhuc clarè expressit, est calcinando rem quancunq;, deinde calcinatam in liquore soluendo, demum liquorem à re soluta exhalando seu coagulando. Quæ facilè intelliguntur ab operariis chymicis. Sed notandum ex Hermolao, Alabastrum dici Democrito & sal omne & calcem viuam de ouorum putaminibus. Hanc ipsam encephaton etiam dici chymicis, & marmor Thebanum & Claudianum: ouum autem illis non semper accipitur de ouis animalium, sicut nec fel, &c. At si podagra sit incorporata cum morbo Gallico, remedia hæc sunt Paracelsi ex libro Germanico quem vertendū mihi curaui. R. Mumiæ veræ lib. s. axungiæ vulpis lib. I. fiat vnguentum per se. Hoc vnguento per biduum vngatur æger in omnibus membris. Recipe liquorem hermodactylorū, ellebori foliorum ana lib. s. Aquilæ hematini grana vj. hoc manè sumat & rursus quinta die: deinde vnctio prædicta continuetur. Hac ratione omnis fluxus atq; materia vlcerum exibit per sua emunctoria: caue autem ab Euphorbio, scammonea, lapide lazuli & similibus, quæ expellunt ea quæ præstat in corpore retineri. Addam ex eo ipso arcanum. Recipe Aurum, perlas seu margaritas, gemmas, corallia.

Alchali.

Salis omniū rerum confectio.

Ex lib. de podagra.

rallia. Addam balſamum. Recipe caſtorei, lauendulæ, liliorum, ſæpi hircini, &c.

In Cap. I.

DE PODAGRA.

AD curationem podagræ, tria requiruntur.

1 Purgatio, quæ fit arcano corallino vel quod eſt ex eſſentia auri: ea quinta vel ſeptena fluxũ elicit. Si ſuperſint tamen reliquię, vel æger infirmior ſit quàm vt ferre poſsit reiterationẽ tantam huius purgationis: quibus verbis videtur innuere huiuſmodi purgationem eſſe vehementem.

2 Aperitio fiat in centro per Alcali ſpirituũ: vnde tumor exiſtet, in quo erumpit in abiectione. Aeſchparæ quicquid centro inſeruit (lego, inſenuit.) *Aeſchpara.*

Aeſchpara, videtur callus cauterij potentialis ex cap. III. lib. I. de Grad. incicatriſantibus, id eſt, facientibus in Æſchparam, hoc eſt quæ corroſiuam carnem abrodunt. At cap. VI. ſcribit: Quicquid mordicus offendit, in corroſione & in Aeſchparam coniicit ad putrefaciendum, tertium gradum occupat, cuiuſmodi ſunt colchotar, arſenicum, ſal ammoniacus, borax, auripigmentum, cæteraque id genus alcali. *Alcali.*

3 Conſolidatio (vbi deſijt fluxus) cataplaſmate Mumiæ: At ſi non indurauit, lego induruit, poteſt Mumia ſola curari, ſcilicet alcaligata, & liquore Mumiæ inungendo artus.

Alcaligatam, Intelligo, Mumiam coniunctam cum alcali spirituum: inter quos adiungere licet Mercurium sublimatum.

Mumia. *Mumia* autem, est cõfectio ex humoribus cadaueris humani, mixtis cum liquore aromatũ quibus conditur in sepulchris Ægyptiorum: quæ rarò legitima reperitur apud nos, sed adulterina tantùm vt rectè ratiocinatur Mathiolus in Dioscoridem. Aliam Mumiam eliciebat Natalis Ramart medicus regius vi viaq; sanguineam è corpore viuo sanoque: alii aiunt fieri ex corporibus humanis in sabulosis Arabiæ locis, arena obrutis soleq; exiccatis.

In Cap.
DE GVTTA.

Horizon. PRimùm, vocabulum horizontis perstringemus, quod hîc est difficillimum, vt reliqua sint legenti planiora. Horizonta hîc *Mercurius solis.* ipse explicat esse Mercurium solis, non autem aurum potabile seu poculentum. Mercurium appellat Ioan. Valentianus subtilissimam partem metallorum: alii dicunt esse primam eorũ materiam, in quam posint reduci, vt glacies in aquam. Ad hanc reductionem Saturni, id est plumbi, insudat vulgus hodie chymicorũ: nemo hactenus experientia commonstrauit. Est enim contrà rationem artis eiusmodi, *Contrà extra flores Mercurij, Saturni.* quùm prima materia secundum Gebrum sit argenti viui conuersio in formam certæ terrę: secundum Bernardum Treuisanum, sit

sit conflata ex vtroq; semine masculino & fœminino, id est cum sulphure, ideò congelata. Et in Rosario minore, Mercurius coagulatus est materia philosophorum &c. N. Flammelius verò (cuius monumenta artis extant Lutetiæ quamplurima) descriptum quoq; reliquit, nullam congelationem naturalem metalli reduci in argentum viuum labile fluensq;: impostores esse quotquot id asserere audeant. At vegetalia fatetur Lullius lib. iij. de v. essentia reduci magno labore in argentum viuum quoddam. Augurellus dicit ab Euganeo schoria conuerti in argentũ verum: sine quo accepi ab ijs qui hoc ipsum se factitare prædicant, nihil tale aggredi: adeò vt suspicio sit à putrefactione talis vegetalis potius, quàm metalli emanare. Est tamen (inquies) apud chymicos crebra huiusmodi (vt hîc quoq; mentio. Verum, sed de alia materia prima doctores eorum interpretantur, quæ existat in forma velut germinis dissoluti, non argenti viui currentis. De quo illud sepulchrale dictum accipiendum sit. *N. Flammelius.*

Ite pessumi fures cum vostro Mercurio
Petasato, caduceato.

At pars istorum sophorum fixionem illius Mercurij Saturni præ se fert, pars extractionem, nec symbola adhuc sua contulerunt: ex quibus aliis montes aureos pollicentur: ipsi (Plautinis verbis) aridi reptant fame. In illum germinis sensum Græci chymistæ, appellant *Extractio. Fictio.*

argentum ipſum viuum Apoſpermatiſmum draconis: argentum viuũ ex auro, Diſcum ſolis, argentum viuum ex ſtanno, Fel draconis (ne quis aliter fellis oleum in Gebri cap. nouiſsimo de aquis & oleis intelligat) Argẽtum autem viuum iam ſpiſſatum gelúq; aſtrictum Gypſon vocant: Squammas etiam æris rudis in fornace ſponte deſilientes, Semen veneris. Mixtionẽ etiam hordei farinæ cum oui albumine, Lutũ vulcani. Ariſtoteles etiam ex Pythagoricis nominat lunam, terrá cœleſtem & cœlum terreſtre: Lucanus poeta Mercuriũ arbitrum. vnde hæc de horizonte: in quo vocabulo agnoſcis allegoriá ſuperiorẽ de oriente & aurora. Horizonta verò Paracelſus vult diſtingui ab auro poculento, quòd alterũ ſit altero magis concoctum atq; igne temperatum. Aurum enim poculentum Hermolaus ſuſpicatur eſſe liquorem illum precioſum epitaphio deſcriptum, de quo meminerunt propè omnes Arabum libri, nullus vnquam clarè explicauit. Explicant autem, ſeu potius implicant atque inuoluunt ſuo more chymiæ magiſtri ita, vt hac ætate nemo hoc ſingulare munus artis oſtentet. Marſilium itaq; Ficinum miror Platonicorum myſteriorum interpretem, quum tam multa prædicet commoda aurei liquoris, cur enim in Antidoto epidemię deſcribat tantùm ex opinione Gentilis non ſua experientia, nempe per hydrargiri calcinationem, deinde in aqua bugloſſæ ſolutionem, his verbis: Fieri fortaſſe poteſt vt aurum ad formam reducatur

Græcorum chymiſtarũ uocabula.
Fel Draconis.
Gypſon.
Semen Veneris.
Lutũ vulcani.
Horizonta.
Aurum poculentum.
Aurei liquoris deſcriptio

ducatur liquidam, aptam ad potandum: aliâ "
autem formâ parum vtile, quia digeri nequa- "
quàm potest. At libr. 2. scilicet de vita longa.
Optimum fore putant si absque aliena permixtione aurum potabile fiat: sin minus contusum & in folia redactum accipi volunt. Aurum fermè potabile habebis vt dicam: Collige flores buglossæ, melissæ, & quando luna leonem subit, uel Arietem, vel Sagittariũ aspicit Solem aut Iouem, coque cum candido saccharo aqua rosacea liquefacto. Cætera nos lib. III. cap. de aurip. disceptabimus: Nam ex philosophicis diis Platonis, arbitror Ficinum amorẽ quidem nactum fuisse philosophum ratione viæ, sed non Pallada ratione termini.

In Cap. II.
DE GVTTA.

AD species omnes Guttæ, requiritur cura generalis ad vim naturæ.

Gutta autem (quod ad quantitatẽ) non plus scrup.j. in se continet, Apoplexia ad scrup.j. non prorsus ascendit: ideò.

Confortatiua adornanda quæ naturam expellant (lego, materiam) scilicet arcana, & ex sui natura vincant. Idcircò lib. de Grad. dicit. "
Ad guttam requiruntur gradus confortatio- "
nis. Apoplexia est quùm gutta cannas in pulmone præfocat. *Apoplex a.*

Ad contractiones ergò duplex est arcanũ, vitriolatum & Mercurius auri, siue horizon, quem falso aurum poculentum appellant:

dosis vitriolati gran. iii. dosis horizontis gran. iiij. Cętera arcana extrinsecus adhibētur, balsamum, aloë, myrobalani omnes &c. in nucha.

Arcanum. De horizonte lib. 2. Chirurgiæ maioris. Arcani vocabulum Paracelsus habet familiare: quod illi significat, ex lib. de Grad. perfectum & omni parte cumulatum medicamen. Singula quæ ad totum morbum vnà cum omnibus eius specibus attinet, nimirum hinc inde congerantur: quo facto omnes morbi species in vno illo composito comprehendantur. Et alibi: verumenimuerò in recepto componendo omnes virtutes in vnum conferas necesse est, vt quotquot simplicia contra febres nata sunt, in vnum traducantur contrahanturq;: id tum demum contra febres arcanum est. De essentia verò arcani corallini, libro Chirurgiæ maioris.

In Cap. iij. de Lepra.

DE lepra iure potuit Paracelsus scribere, quam eius Epitaphium testatur maxima artis gloria curauisse, exemplo atque imitatione Arnaldi Villanouani in Henrico Gerona, fratre Regis Aragonum. Qui non credet, simul confiteatur se medicinas Mercuriorum ne minima quidem suspicione subodorari.

Species lepræ Species vi. lepræ statuit, Arnaldus iiii. tantùm. Curantur per regenerationem. Eadem ratione hîc indicat Mercurium solis (de quo cap. præcedenti) esse regeneratiuum. Quod est

eſt oleum ad aquam, hoc eſt lepra ad medicinam. id eſt, ſicut non eluitur oleum ex panno per aquam: ita nec lepra per medicinam vulgarem & leuem.

Mundanda ab initio metalla leproſorũ mediante tinctura. vt duplex lepra ita duplex tinctura, rubea & alba. Ab initio, id eſt, fortè ab argento viuo ex verbis eidem Paracelſo attributis in dialogo Chryſorrhoa: oportet metalla ad initium reduci. ,, *Dialogus Chryſorrhoas.*

Tinctura rubra dicitur ſolaris, alba, lunaris. Confice ergô exactè mercurium lunæ & ſolis, id eſt, primam materiam. Etiam ſi Mercurius ad tingenda metalla non ſufficiat omninò, valet ad corporis ſanitatem. Non ſufficit autem ad metalla, donec fuerit in perfectá tincturam redactus. Sunt præterea alia arcana quæ lepram ex æquo tollunt. Hoc libenter exponam per cap. vltimum lib. vltimi de Grad. Qui ſalis, Mercurii, ſulphuris anatomiá in ſuũ Ilech contulerit, arcanum habet eiuſmodi, vt nullo præterea medicamine omnino opus habeat: ipſe in Annotationibus ſuis interpretatur de compoſito magno. *Arcanum magnum.*

In cap. IIII. de Epilapſia.

EX medicinæ remediis hîc requiruntur ſupranaturales eſſentiæ per præparationem vitrioli, &c.
Item aliqua in narcoticis.
Item pæonia, & ſanguis vnà cum membris vel partibus corporis in quibus oritur morbus.

Pæoniæ miraculum ex Galeno. De pæonia historia est admirabilis apud Galenum, cuius radix suspensa collo erigebat Epilepticum, qua detracta, mox cadebat.

Ex chirurgia duplex ratio medendi petitur.

PRior ad præparandum emunctorium caducum, sic:

Aperi craneum idoneis instrumentis: deinde aurea & argentea canna suo loco impositam consolidam vitæ bonæ pristinæ restitue. (lego impositá consolidatum.)

Posterior: resolue membrum aut superiorem partem membri, puto (lego, vt puta) ligamenta, arterias in circuitu, idque corrosiuo narcotico vsque ad ossa, deinde rursus consolida. Corrosiuum hoc quidam iudicant fieri insensibiliter oleo vitrioli chymico more educto.

Iam vt redeamus ad rationem physicam, Recipe oleum vitrioli correctum & aurificatum, vel per phlegma forma circulari temperatum, vel per (lego non per) sed Recipe oleũ rubrum seu viride quod (lego, sub quo) Colchotar delitescit: vtrumq; liberat morbo.

Etiam inũcta pars memorialis & (lego, ex) balsamo quod est de hederibus (lego, hæderis) & fiat post paroxismum.

Prætereà inunctum occiput balsamo Eleniis (lego, de Eleniis) in vehementissimo paroxismo. Helenium herba est nota. Item arcanum sanguinis & quorundam membrorum.

Sanguis humanus distillatus scilicet adulescen-

ſcentis ſani dicitur in libris medicinæ cabalyſticis hycohy. D. Thomas in lib. de Eſſentiis eſſentiarum, qui hodiè non facilè reperitur. Recipe, inquit, ſanguinem humanum, putrefac in fimo, diſtilla aquam albam vt lac, auge ignẽ ſtillabit oleũ. Feres vt albæ fiant inſtar niuis, rectifica (lego, reuerbera) deinde eis redde aquam & oleum. Fiet lapis clarus rubeo miræ virtutis aduerſus fluxum ſanguinis, & alios etiam morbos. Eius itidem laudes prædicauit Magneſius Magnenſis lib. de Conſeruanda ſanitate. Paracelſus verò lib. Chirurg. ita præparat: cruor ſtatim in vitreo vaſe coagulari debet ſupra feruidam aquam, deinde calcinari quo id pacto optimè fieri poteſt, & cum propria vnda extrahi ac volatilis fieri, vt nihil aliud ſit in eo quod aſcendat, huic liquori adde dimidiam partem liquoris duræ glaciei, & adminiſtra per ſyringam.

De hycohy ſeu ſanguine humano.
D. Thomas deeſſe & eſſeniijs.
Paracelſus lib. maior. Chirurg.

Nota tandem lector ex opuſculo illius germanico: viſcum quercinum ſingulare remedium eſſe in morbo caduco: vnde quidam exiſtimarũt Druydas, vt priſcos ſapientes Gallorum adeò diligentes olim fuiſſe in eius collectione.

Viſcus quercinus.
Druydas.

Præoniæ autem experimentum deficit
in noſtra regione, fortè non ſatis
calida vt vis odoris
iuuet.

In cap.V.de Febribus.

REquiruntur tria.

1 Purgatio per diaceltatesſon vt pellatur omnis febris in materia peccante: ſi adhuc dilatatur morbus & per membra ſpargitur.

2 Fit cura ſpecifica per oppopyron laudani: ad pellendũ febrem vnà cum dilatatione.

3 Minutiò cauſalis, ſiue ſaluatellæ, ſiue cephalicæ, ſiue ea quæ per ſpinam dorſi materiá peccantem in ſanguine educit: idq́;, (lego atque) intra cutem & carnem, id eſt, humores exudantes à venis ad carnem, &c.

Ad doſum autem obſeruandum quid dilatatum ſit & quid non: id eſt, quantum.

De ijs quæ conducunt ad arcanum febriũ: idem latius lib.vlt.cap.II.de Grad.

De laudano tantùm hìc dicam librum fuiſſe conſcriptum ab inuidis aduerſus Paracelſum, cui titulum indiderunt, Laudanum ſanctum: in quo nouá illius in medendi arte methodum criminabantur, ſoli autoritatis veterum fundamento innixi, quæ ipſe calumnias facilè eluſit. Laudanum autem erat inter pręcipua Paracelſi arcana.

Laudanum ſanctum.

Adiiciam verò hîc deſcriptionem laudani, memorati à Paracelſo tot tantiſq́; locis, quo vſum dicit Adamus à Bodenſtein in morbis deploratis.

compoſitio Laudani falſa.

Recipe Orizei foliati ℥.j.

Margaritarum non perforatarum.℥.s.

Florum

Florum antimonij, Asphalti, singulorum ʒ.j.
Croci Orientalis ʒ.iij.
Myrrhæ Romanæ, aloes succotrini ante ad pondus omnium: reduc ad formam.
Dosis à granis iiij. vel vij. ad x. vsque.

Est aliud laudanum contra febres præstantissimum, quod recipit.

Antimonii præparati lib.
Sacchari candidi lib. medicinalem: fiat puluis subtilis, distilletur in arena aut balneo iuxta artem.
Huius olei Recipe ℥.ij.
Ambræ. ℥.s.
Croci selectissimi ʒ.vj.
Reducantur successiuè in massam: fiant pillulæ paruæ: dentur tres cum conserua boraginis ante accessionem febris, inducaturq; sudor si fieri potest.

Quis nisi cœcus non intuetur has compositiones haud esse legitimas Paracelsi, sed ab Adamo aut alio suppositititias? Vbi, orizei pro obrizi, myrrhæ Romanæ, quis vnquam Romanam myrrham aliis prætulit? quid est Antimonium præparatum, non adiecto præparationis modò: quùm tot tantosq; ex Paracelso vobis deduxerimus? quorsum mentio libræ medicinalis? quis vnquam iuxtà artem pares existimauit distillationes arenæ (quæ cineribus etiam fortiter est) balneo? Hæc sunt commentitia Adami, aut alterius documenta, libro isti falso de vita longa, adscripta. Ladaui autē seu

lodaui meminerũt frequenter Plinius & Cor. Celſus.

In Cap. VI. de Apoſtematibus.

NIhil reperio à me annotandum, qui ea mente ſim ingreſſus in hanc commentationem, vt tantum tenebras diſcuterem, quæ à cabala ſpagyrorum vel Magorum infunderentur.

In Cap. VII. de Hydropiſi.

SPecifica purgationis.

Alandahal. Elice principio eſſentiam ex Alandahal vnà cum compoſito de Alandahal: idem in annotationibus ſuis de trociſcis Alãdahal: deinde confunde cum Aquila præcipitata. Aquila. Aquila eſt Spagyris ſal ammoniacus, qui eſt ſpiritus volatilis.

Adminiſtr[illegible] etiam indies eſſentiam Tartari victrioli (lego, vitrioli) & diacube dum abeat origo morbi.

Specifica tumoris.

Rebis. Sub hęc adorna cataplaſma ex rebis columbarum in aceto roſaceo, donec videas cõſumptum morbum.)

Rebis, vel eſt excrementum columbarum: cuius etiam vſus eſt in medicina & pſylotro- pylorum, vel Rebis ſpagyrorũ, de quo verſus.

Eſt rebis in dictis notiſſima norma figuris.

De quo quidam Virgilium exponunt in ramo aureo.

Geminæ tum fortè columbæ.

Idem Paracelſus lib. j. de Grad. cap. iiij.

Quod ex terra est vt homines in primo, vt rebis. Hodie quidam affirmant ex aqua stillatitia herbæ Peti ab insula florida delatæ, hydropysim mirificè curari. Posthæc summum specificum spiritus vitæ ex auro extractus, in quo est energia visq; naturæ.) Vis naturæ, quod vulgo dicitur restauratiuum & confortatiuū, postea in lib. iiij. amplius. Idem Paracelsus lib. de Grad. 1. cap. iij. dicit. Ad hydropisim conquiri gradus exiccationis. *Herba peti.* *Spiritus auri*

In Cap. VIII. de Pustulis.

IN speciebus morbi Gallici quatuor obseruanda.

1 Purgatio.

2 Ceniotemia ad pellendam causam morbi cum tota materia peccante, in quo cautio esse magna debet in dosi.) Phlebotomia quidam legere hîc malunt, qua tollitur causa morbi, id est humor, qui in membro mandante cum tota materia, quæ est in membro patiente.

Pustulas ad dolorem iuncturarum inunge oleo ex realgare.)

Realgar est species auripigmenti rubei fœtidissimi & potentissimi secundum Pantheū in Voarchadumia, de quo infrà lib. iij. cap. de auro, Omne realgar moritur in elixire auri, qd' paulò ante appellat etiam corrosiuum. Arnaldus tamen lib. de Venenis collocat inter species vitrioli. Santes Ardoynus dicit esse arsenicum mixtum cum sulphure, sed nullo autore. *Realgar.* *Pantheus.* *Arnaldus.*

In cap. X. de vulneribus.

NOta grauem hunc philosophum nō abhorruisse à characteribus qui sunt in scriptis pendulis, nec à benedictionib. quæ verbis constant ore prolatis: vt est vulgata anilis formula pro erectione pectoris, & Catonis barbara verba ignorabilia pro luxatis, &c. In lib. tamen Chirurgię, constellationes, lapides & verba comprobat: reiicit quasdā coniurationes & ceremoniales figurarum.

Cato de re rustica.

SCHOLIA.

Characteristica.

DE magoreo igitur characteristica, vulnerum curandorum ratione, quia Archidoxa non extant in quibus ea tractauit, paucis ex scriptis veterum differemus.

Approbata sunt hæc à Marcello Empirico, Dioscoride nouo, Tralliano, Catone, Constantino in Geoponicis. Celsi emendator addit Plinium, falso, hostem perpetuum omnis magicæ vanitatis: facetissima ratio Q. Sereni Samonici aduersus hemitriteum.

Abracadabra depicto, desinente in conum vsque ad extremam literam, sicq; collo appenso. Alchindus & Porphirius figuras & characteres probant. Ad fluxum sanguinis sistendum (de quo hîc Paracelsus) Homerus carmen ab Autolyci filio Vlissi saucio adhibuit: Alij hæc verba exprimunt:

Homerus ad sanguinem sistendum.

Chūrat, cara, sarite, cōfirma, cōsana, imaholite.

Constantinus ille etiam in piscium captura, Iao Sabaoth.

In piscium captura.

Contra

Contra canis rabidi morſum, pani in ſcribitur, Irioni, Rhiriori: eſſera, Rhuder, fere, inde voratur. Vel pomi particulæ: Hax, pax, max, Deus, adimax. *Contra morſum canis rabidi.*

Contra Strumas credebat antiquitas verbaſcum cum ſua radice tuſum, vino aſperſum folioq; inuolutum, & in cinere calefactum, ſtrumiſq; impoſitum, eas abigere: ſi hoc feciſſet virgo ieiuno: & manu ſupina tangens dixiſſet: Negat Apollo peſtem poſſe creſcere, quam nuda virgo reſtringat: atq; ter hîc deſpuendum putabat. *Contra ſtrumas.* *Faceta curatio ſtrumarum.*

Ad Epilepſiam de qua ſuprà, verſus.

Gaſpar fert myrrham, thus Melchior, Balthaſar aurum.

Ad furtum inueniendum præfatis precibus, Dies, nues, reſchet, benedoefet, douuina, euitemaus: deinde ſuſpectorum nominibus ad cribri volutationem pronuntiatis. *Ad furtum inueniendũ.*

Contrà dentium dolorem voces perbellæ: Galbes, galbat, galdes, galda: ridiculumq; hoc ſcriptum appenditur: Strigiles falceſq; dentatæ dentium dolorem perſanate. Nota eſt Catonis cantio ad membra luxata: danata, daries &c. Mirum etiam quod roſtro pulli imponunt Gibel, Got, gabet: inde ſtylo præacuto huic caput rectà in medio pertundunt, pulluſque exilit, ac viuit maximè in æſtate. Reſtat quod Vuierus in Paracelſi contumeliam ſcripſit: Domum à lemuribus turbatam illius aſſeclas liberare ſuſpenſis in quatuor angulis mẽbranis virgineis verba ſacra continentibus: *Contra dolorem dentiũ.* *Contra Vuierum. de Paracelſi diſcipulis.*

Deinde addit in medicorum ludibrium. Si eodem modo suæ artis statuũt principia quo hanc commenti sunt curationem, nõ est quod veterem medicinam euersum iri metuamus) Nunc consideremus quæ dicũtur à Chaldęis, plus posse characteres & figuras, quàm posit quæcunq; qualitas materialis. Sed quod attinet ad voces illas ignorabiles carminum superiorum, Io. Picus videtur prauissimè sentire, non significatiuas voces plus posse in magia, quàm significatiuas: quia quælibet vox virtutem habet in magia inquantum Dei voce formatur. Nec ullas valere, nisi sint Hebraicæ vel inde proximè deriuatæ. Ratio enim est certissima quæ nihil significent, nullius esse momenti aut ponderis, sed barbara quidem verba fatebor non esse nobis immutanda. Ideò Tritemius iubet in Steganographia post iusiurandum à discipulo exactum, magistrum illi coniurationum formulas explicare, quæ videntur verbis omnino barbaris vel potius nihil significantibus esse conceptæ.

De verbis ignorabilib. Contrà Io. Picum.

De vera magia carminibus & characteribus aduersus Vvieri aliorumq; calumnias.

NEgas hæc characteristica wiere, Tu nè es (ô miser) cum tantis Priscis viris vlla ex parte comparandus? vt tantùm hìc nouissimos philosophos nominẽ Appionem Grammaticũ, Iulianum Cæsarem, Artephiũ, Rogerium Bachonẽ, Petrum Aponensem conciliatorem, Albertum Magnũ, Arnoldum Villanouanum, Anselmum Parmensem, Picatricem

cem Hiſpanum, Cicchum Aſculum Florentinum: quorum nullus eſt qui non te fama doctrinaque longè antecellat. Enimuero te diligo wiere tanquam medicum probum, te colo tanquam Chriſtianum virum à Magia infami abhorrentem, te prædico tanquam diligentē omnis antiquitatis exceptorem vel ſpicilegū: nulla ego, Deus Opt. Max. mihi non teſtis (vt loquuntur) ſed iudex eſto inuidia aduerſum te, nulla calumnia ducor, imò tuum laborem, tuam lucubrationem exoſculor, quemadmodum te præſentem libenter amplecterer. Suſpicor te calumniæ metu, virum meo iudicio eruditum nec inertem, nec inſulſum contra omnem antiquitatem bellum profectò temerarium ſuſcepiſſe. Sic Marſilius Ficinus ſacerdos & medicus, multa ſcripſit myſtica infructuoſè: in quib. poſtea tam in religione quàm medicina ſuſpendit aſſertionem. Ego verò (viri boni) uos excuſo, quin potius ſeculi miſeriam imperiti defleò cum Catullo.

O ſeclum inſipiens & infacetum. *Catullus.*

At ſi in Theologicis D. Auguſtinum maximum antiquitatis cultorem criminaris: Si in medicina Galenum cum tot præſtantibus viris, quo te tandem autore fulcies, ſi à teſtimonio, ex dialectica ducendus erit ſyllogiſmus, nō tibi tanti viri præferentur, quos longo ſequeris interuallo? Reſipiſce tandem bone vir, & iudiciū in iis myſteriis mecū adhibe: Damnemus vnà quæcunq; erunt à vera ſanctaque Dei religione aliena, Ariolos, Augures cum

Mose: ne respuamus quæ à sanctis angelis, quæ ab obseruationibus diuinorum nominum (de quibus tam pręclara Dionysius) quę ab vsu certo depromuntur. Pudet me H. Cardanum testem producere, quo quibusdam in rebus fautore vteris, qui Catonianas cantiones laudat, qui Artephist, qui Io. Tritemium stolidè damnat. Te ego illo meliorem, te prudentiorem iudico: quo te tandem transuersum rapit hæc in artes abstrusas hactenus tibi incompertas opinio, vt eam tibi necesse sit aduersus sapientissimos quoq; hominum stolidissimorum & ineptissimorum testimoniis fulcire? Historias etiam vetustate confirmatas damnas, nouás quæ tuæ sententiæ suffragantur, probas, Olai aliorumque scriptorum barbarorum. Nolo persequi singula verborum copia, & inanitate non delector, res ipsas perscrutor, & totus in his sum. Nunc laudas Agrippam tuum, nunc alterius verbis persuasus, dicis eum libros suos nugamentis inspersisse. Quæ inconstantia hæc, quæ vacillatio est? Oportet ex vetere prouerbio, mendacem memorem esse. Tuum si pro tribunali stares, testimonium sibi non constat, quam ergo fidem speras dictis tuis à lectore prudenti extorquere? Si eximij Theologi, si excellentes medici contra te faciunt, non metuis sapientum iudiciũ?

Nę Lactantium, næ Aulum Gellium de Tarquinio, næ antiquitatem Romanam, ex Cicerone in maximis quibusq; rebus libros Sibyllinos

linos consulentem contra te proferam. Clemens Romanus Fa. 73. 6. citat nouem carmina Sibyllarum de resurrectione lib. 5. cap. 8. Clemens Alexandrinus mentionem facit Sibyllarum Fa. 13. 20. 24. 27. 29. Pausanias alijq; complures, cum ingenti veneratione. Sibyllas tamen damnat Vuierus ab omnibus approbatas: adeò in conceptam semel ingenij ruditate opinionem præceps labitur, vt Andabatarum more in prælium aduersus omnes magiæ sacræ aut naturalis doctores, velut oculis clausis feratur. Age tu socie Vuieri Cardane, circa verbum Sibyllinum, qui v. reijcis geminatum, constituis numerum 5. mixtorum, in 4. syllabis, si quatuor desint vocales? tres ergo vocales cũ tribus mutis facerent tres syllabas, quæ duabus tantùm literis singulæ. Reliqua scilicet, octaua, nónne constabit necessario 6. literis, ad 9 numerum perficiendum? Si tribus, quid prohibet in ijs v geminari. Si non negabis in diuino vocabulo, reprehendes omitti in numeratione. Danda tamen est huiusmodi mysterijs venia, nisi tu melius adferre possis. *Parergon de verbo Sibyllyno.*

Hic adijciam tantùm meam de duobus vocabulis σωτηρ θεος Io. Aurati opinionem: à quo, licet amicissimo viro, liceat in hoc veluti diuinationis lusu paululum dissentire. Duo enim profert nomina non vnum, & illa Iesum significantia, cuius nomen posteà à Sibylla expressum est, ideò non hîc, nec bis. Deinde numerus quinarius deest: quem vult, ingeniosè qui- *Io. Auratus.*

dem., mysterium crucis adumbrare, quod tamen luculenter posteà in Acrostichide artis potius quàm notatum est à Sibylla & Ethnicis suspectum furoris. Versus pentameter inerat: additæ sunt syllabæ in supplementum hexametri, ab ignaro furoris illius vatum in diuersa prolabentis: quem Castellio religiosè obseruauit. Differt ergò Sibylla à magis & Paracelso nostro, in hoc vocabulo 4. literarum, in nouem literis hîc descriptis: quoniam ad varios fines varia tendunt diuina nomina, alia ad scientias, alia ad miracula.

Qui ista negant, lector, cum Vuiero vel horret, demersæ in cœno eorum mentes nihil sublime suspiciunt. Negabunt regis Gallorum prærogatiuam in strumis manus solò contactu curandis, eodem miraculo quo Vespasianus Imperator sputo visum restituit, calcis suę contactu crus sanauit autore, & Tacito Romano & Iosepho Iudæo.

Qui tamen fidem physicis ligaturis, de quibus Costaben Luce, & Theodorus Priscinus, qui periaptis & amuletis non subtrahit, vt medicus non debuit abhorrere ab opinione Alexandri Traliani lib.10.cap.1.lib.IX.cap.iiij.lib.ij.in fine.lib.xij.cap.IX. In Herculis erecti leonem suffocantis, & in lapide medico insculpti imagine annulo aureo inclusa gestanda cholicis, atq; in calculosis, podagris, & febrientibus, quibus alligationum, characterum & carminis vsu consuluit.

Multò minus à Galeno suo, qui ab ijs quæ euidenter

euidenter apparent persuasus, temporis processu vim ijs inesse sensit (in tractatu de Homerica medicatione) quam anteà negauerat. Tune Vuiere tantis viris maior aut doctior? Aetius hærentes in gula & tonsillis spinas & ossicula excantauit, Telum carmine (ex Beniuenio) à thorace extractum. Marcellus inculcat carmina. his quoq; vsus est Octauianus in Euporistis, Gordoni9 & pleriq; alij primarij medici ad sanguinis profluuia, ad comitiales accessiones, ad part9 difficultatẽ, ad febres intermitẽtes & erraticas, ad lũbricos, vulnera, fistulas, luxatiões, hernia, carmina habuere familiaria.

Vegetium etiã reprehẽdit, ab aliis (inquit) malè persuasum, qui suffimentum animãtium morbis prohibendis vtile præscribit, eoq; etiam licere censet ad fascinum tollendum, dęmones fugandos, grandines inhibendas.

Certè Raby Moses Aegyptius lib. Perplexorum ridet eos qui soli figuræ, soli scripturę, solis lineamentis, solis deniq; vocibus aere fracto natis, tantam miraculorum vim atq; potestatem tribuant. Nota tu lector cum Rogerio Bachone non solis hisce remediis fidendum, sed opem à Deo, vel à natura rerum ab eo conditarum magistra implorandum. *Rabi Moses.*

Eadem opera D. Augustinum arguit vanitatis, Franciscum Picum, & suum (vt ait) herum & pręceptorem venerandum Cor. Agrippam, omnes deniq; omnium gentium ac seculorum historias. In quibus etiam Sabellicus, Satyrũ Syllæ ex Nymphęo insula ostẽsum scri *Satyrus.*

bit, quem religionis ergò missum fecerit, suisq; sedib9 reddiderit. Satyros Galli Dusios vocabant, eos etiam Pausanias probat ex historia. Nec ulla est ratio argumentandi in semen horum dæmonum vel semideorum, quum corpus habeant quod seminis est capax.

Angelorum enim alij in sua conditione permanserunt, alii eam violauerunt & corpus assumpserunt. Ideò Georgius Pictorius de materiis sublunaribus dicit, ab iis lamias iniri & parere: Iosephus, Lactantius, Tertullianus, Athenagoras philosophus Christianus, Iustinus: Philosophi verò Pythagoras, Plato in Cratylo, Xenocrates, Chrysippus, Plutarchus, Nephitim, id est, filios Dei copulatos cum filiabus hominum gygantes peperisse. Quod ego tantorum virorum autoritatem secutus de eu dæmonibus intelligo.

Iam verò addam ex cabalisticis Chaldæis: Deus audita oratione Adam statim dedit ei septem semyphoras quos inuenit Salomon in archa testamenti, quorum prius vocatur (secundum prophetas) semiph.yana, cum quarto eum formauit ad auxilium in necessitate. Cum secundo semyph. quod Yoseraye poterat loqui cum angelis, & illi literas attulerunt. Dum tertio poterat loqui cum dęmonibus & mortuis, & ab eis consiliuminquirebat, cui sufficienter respondebant, & est Adonai. Cum quarto, id est, cum vii. nominibus scilicet languinem &c. animalia & spiritus alligabat, soluebat. Cum quinto, id est, hyaba &c. semina ligabat

Alias Schemhãphoras.

gabat & arbores. Cũ 6. cuius nomina sunt (ataminati, lataglatos &c. elementa & venti eius complacebant voluntati. Cum septimo, id est cum lxxij. nominibus creatoris, quicquid voluit facere suprà elementa, fecit. Septuaginta duo verò nomina sunt ista &c. quæ peti possunt ex libris Razielis & Cor. Agrippæ.

Ecce quodlibet nomen tribus literis constat duntaxat. Item sunt xij. nomina nec plura nec pauciora. Item sunt sex vices xij. solum, & sic septuaginta duo existunt.

Colligũtur autem ex tribus versiculis, Exo. cap. xiiij. quorum quilibet in textu hebraico constat lxxij. literis, vnde tres illi constant cccxvi. literis.

1 Tollensq; se angelus.
2 Et erat nubes.
3 Cumq; extendisset Moses manum.

Quæ omnia mihi bellum contrà Pomponatium decernunt, cuncta opera magica necnon diuina miracula ad naturales causas referentem.

P. Pomponatius de incantamentis.

Nam argumenta eius Aristotelica, si vera essent, exinanirent, seu euacuarent fidem: non vult enim dæmones medios inter Deum & homines. vnde ergo Gabrielis nunciatio vel legatio & aliorum complurium angelorum ad mortales legatorum tam in veteri quàm nouo testamento? Sic euacuat fidem Christi dicens omnia facta fuisse à Magis quibusdam, excepta eclipsi pasionis. Sunt autem falsa non solùm autoritate tanta sacrorum librorũ,

non satis legisti, Leo, Pomponatium: ideò toto erras cœlo.

ſed etiam quotidiano vel magorum, vel ſapientum experimento. Vnde nullo modo ille ſatisfecit amici quæſtionibus.

Quæſtiones Medicinæ, quæ ſunt huiuſmodi.

Quum duorum puerorum curam ſuſcepiſſet, quorum alter morbo veluti Eryſipilate laborabat, alter verò in ignem inciderat, quendam ſuperueniſſe qui hos pueros ſolis verbis & carminibus liberauerit, additq; alium fuiſſe, cui ferrum infixum erat, quod nulla medici arte euelli valuit, ab eodem tamen eademq; ratione euulſum: adiungit quartò miraculum, tamiſium ab eodem ſolis verbis motum: quumq; precantator iſte dixiſſet. Quem quæritis? pueros teneros in vaſe vitreo inſpexiſſe varias perſonas.

Quàm vanæ, quàm friuolæ ſunt plerumq; illius peripatetici rationes. Si dæmõ (inquit) mouet corpus ab oriente in occidentem, dæmon ſimul erit cum tali corpore moto. An qui iacit telum non mouet? an ſemper eſt & eodem in loco cum telo? O lepidum caput.

Dionyſius Areopagita. De eclipſi vtraq; ſub Chriſti mortem: nihil poteſt propugnationis ex naturæ penetralibus eruere. Sol & Luna per ſummam vim ſtatu omnino mirabili vnà cum cœlo, vt eſſent prorſus immobiles, ipſius imperio paruerunt, atq; ad diei totius menſuram in eiſdem ſignis omnia conſtiterunt. Simile de Ioſue. Quid de ſolis defectu tempore crucis? Eramus tũc ambo apud Heliopolí, amboq; ſimul incidétẽ mirabiliter Soli Lunę globũ notabamus:

mus: non enim eiusce coniunctionis tunc ade rat tempus, ipsamq; rursus hora nona ad vesperam ad Solis diametrum super naturæ vires restitutam. In memoriam illius reuoca & aliud quiddam. Nempe enim vt ipse non ignoras, eam Lunæ incidentiam ab oriente cœpisse, & vsq; ad solaris corporis finem peruenisse, ac tum demum resilijsse notauimus. Neq; verò eadē ex parte (vt assolet) & incidētia illa & repugnātia facta est, sed ex aduerso diametri.

Apollophanes sophista affirmat se vidisse & Ia. Faber Phlegonem gentilem & Aphricanum hoc in suis historijs commemorasse. Ad regimen mundi à septem planetis: quamuis Hebręi dicant diluuium sub regimine Martis. Beda & Isidorus sub Gabriele maiori ratione statuunt multiplicatione, quam exprimere Tritemius ait, non ex se pręsentis temporis: tamen aliud videtur sensisse. Idem in præfatione lib. iij Steganographiæ, audacter veterum Chaldæorum opinionem secutus, quam fortè ad Imp. Maximilianum dissimulabat. Sed secreta non sunt amplius detegenda, vt omittā mortem socraticā ob Dei reuelationē, exiliū Pythagoricū, secessum Aristotelicū. Nam nihil de ijs quæ supra nos, ad nos, id est philosophos naturales. Si quid certò definitum demōstrabitur sequemur: si in reliquis maior nostrâ probabilitas se offeret, nō reluctabimur.

Intelligentia Lunæ.

Qui melius aut magis sapiet, scripto doceat. Reges & religiones sicut cætera generalia & corruptibilia habere suū prīcipiū, incremētū,

ſtatum & finem, cum ſuis miraculis & autoritate ſignorum.

Plin. cap xx. lib. x. Conuerſio in lupos Archadum tranſmiſſo ſtagno ex Plin. veram tranſmutationem dicit Pomponatius, vt Paracelſus lib. 1. ſuprà.

Paracelſus de tranſmutatione luporum ſupra lib. 10. Magnus philoſophus Pompo. ſed parum Chriſtianus, qui filios Dei nuncupans omnes legiſlatores, priuilegium communicat Chriſti. qui affigens angelos orbibus cœli, negare videtur eorum officium & legationem à Deo ad homines, ad virginem deiparam &c.

Miracula non iudicat contra naturæ ordinem ſed quia rara & inſueta & in longiſsimis periodis: Et hic.

Eius autem præcipua ſunt placita proœmio Metaph. quæ occultiſsima ſunt ſapientum ſeu magorum. Magus lingua Perſica ſapiens interpretatur. Scientiæ fiunt per additamenta 1. Metaph. & in fine ſecundi.

Sittæ auiculæ Ariſtot. rem maleficam attribuit cap. ii. lib. IX. Notatur Picus cinereus apud Geſnerum de Auibus.

Ariſt. famoſum non ex toto perit.

Nec immundi nec boni ſpiritus præter eos qui mouent corpora cœleſtia à peripateticis ſunt admiſsi.

Ex platon. Plato diuino numini tanquam præſtantiori naturæ neceſsitatem obtemperare dicebat: omnes philoſophiæ calumnias & abſtulit, & auditoribus ſuis omnia quaſi arcana naturæ patefecit, id eſt aliud ſcripſit, aliud intellexit, & diſcipulis explicauit.

Maxima

Maxima custodia secretorum, nihil scribere sed addiscere. *Ex Plato. ad Dionys.*

Non est Platonis opus præscriptum aliquod, neq; erit.

Primum motiuum voluntatis Deum ponit, rationis autem principium, non rationem, sed aliquid melius. *Ex Arist. de bona fortuna.*

Voluntas à Deo mouetur immediatè & ab intelligentiis. Negat hoc Mallei autor de intelligentiis. Hæc verò est sententia vera: Deum agere in voluntatem humanam, Angelos in intellectum quem illuminant, corpus cœleste in corpus. Hæc est lex diuinitatis immutabiliter stabilita, vt ima à summis per media perficiantur. Vult autem Mallei autor moueri corpora à dæmonibus, quod negat Cardanus. *Dionysius Areopagita.*

Pomponatius dicit non posse esse nouitatem in effectu absque nouitate in causa, id est, quũ talis motus non dependeat à corp. cœlesti per positionẽ, pro cuius mutatione reddatur causa nouitatis motus, oportet ipsum mutari.

Natura agit directa à Deo & intelligentiis, omnia hæc humana regulantibus.

Si anima non prius esset in se, quàm in corpore, non esset naturaliter sine corpore.

Eclipsim Christi à Deo solo fieri potuisse, quia per naturam secundum Aristot. cœlum non potest quiescere, neq; intelligentia intendere vel remittere motum suum. *Fatetur Pomp.*

Deus est actus purissimus.

Deus non potest agere præter ordinem naturæ communem. *Aristoteles.*

Intelligentiæ nõ ſunt mutabiles, & nihil de nouo intelligunt.

Dæmones in tempore imperceptibili mouentur de Oriente in Occidentem non motu phyſico, qui tantùm conuenit corporibus: qđ facit ad Steganographiá & longè diſsitos ſenſus, in Paracelſi lib. I. ſuprà.

Additio ex alijs Theoph. Paracelſi libris De Inſania ſeu phrenesi.

INcidit in manus meas libellus Paracelſi Germanicũs de inſania, qui mihi in linguá Latinam verſus eſt: ne quid huic libro de morborum curatione deſit, tam medica quàm chirurgica: eum etiam paucis complectar. Speculationes in capite collectæ, (myrmidones dicuntur) ſibi cõtrariæ: ex quibuſdam pugna, ex quibuſdam naſcitur ſaltatio.

Quia rationis amiſsio in eis maior eſt, quàm dolor, dolorem ſuum non ſentiunt.

Vlcus quidem non reddit hominem inſanum aut furioſum, ſed proficiſcitur ex eadem cauſa ex qua rabies.

Septies Maniæ profluunt ex elemẽto ignis.

Ebullitio aquæ eſt ipſa inſania per ignem: ſic ergò tollendus eſt ignis vt ceſſet ebullitio.

Cauſa potius tribuenda eſt cœleſti influxui quàm humori melancholico.

Lupi grana, creant hunc morbum & Setanũ, Ruſtallum, Hirbel.

Sicut enim vinum priuat ratione, ſic & hæc eſculenta afficiũt hoc morbo, quæ ſunt quam pluri-

plurima, ſed ſilentio prætereunda. Cerebrũ non poteſt ferre quod eſt à ſua vi naturaq; alienum, per quádam ponticitatem ſpecialem, vt eſt in vino cicuta, zinziber, ſed non piper.

DE. COLICA.

Cauſæ colicæ in homine ſunt venti, vt in maiore mundo.

Genera quatuor terminũ ventis quatuor reſpondentia.	Colica Euro, —	calida ſicca.
	Torſio monoculi Zephyro,	humida frigida.
	Torſio vmbilici, Auſtro,	humida calida.
	Paſsio dorſi Boreæ,	frigida ſicca.

Cura eſt à	Segterna
	Sibeta
	Reinfal
	Opio.

Prima ſcrilicet	In loco vbi eſt, vt Sibeta.
	In concauitate contraria vt Opium.

Secunda ſcilicet { Exiccare corpus humidum nimium. | Humectare corpus ſiccum nimium. }

Tertia ſcilicet. { Excrementa. | Salia. | Et ea quæ ſunt { Abraſa, vel | Reſoluta. } }

Quarta contractionis cura.

Scholiorum in lib. II.
FINIS.

LEONIS SVAVII I. G. P. IN PH. TH. PARACELSI lib.III.de Vita longa Scholia.

In cap.III.de Auro.



Vrum esse materiam elementi terrestris præstantissimā, nullus ignorat: (nisi fortè gemmas excipis) de quo scitè poeta maximus.

Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Et Ouidius:

Ferroq; nocentius aurum.

Ab eo tamen ætas aurea cognominata est, sub qua, omnis erat in orbe fœlicitas: vsus itaq; illius, illud cōmendat, abusus de quo Aristophanes in Pluto in detestationem adducit. *Aristoph.* Campus est in eius tractatione immensus spatiandi, si titulus scholiorum pateretur. Sed hîc de auro non agimus, nisi in vsum medicinæ, de qua paulo pòst antiquorum philosophorū opiniones audietis: magna nostri seculi verecundia, in quo tantus thesaurus contemnitur à medicis, sicut & lapides pretiosi, sicut Astronomiæ auxilium: licet Hippocrates & Galenus quandoq; medicinam absque afflatu cœlesti inanem & noxiam fateantur, multiq; ita experti sunt. Negligunt in suis medicamentis nostri hodie gemmas, vt Saphirum in oculolorum collyriis secundum Dioscoridem, vt. *De lapidibus preciosis ad medicinam.*

Smaragdum, Hyacinthum, Topacium in attra-
Contrà Ficinum de lapidibus & metallis. ctione veneni, &c. Miror tamen Marsilium Ficinum qui hæc ambo valdè approbauit, existimare metallum superius lapillo, siue pulchritudinem spectet splendoris & perspicuitatis, siue pretii magnitudiné, quúm ex Plinio Margarita seu vnio rerum omnium æstimationem excedat, siue dotes lapidibus attribuas. Aurũ quoq; asignare partim Ioui partim Soli nullo autore: sicut aurum argento permixtum Ioui Veneriq; simul, non definita commixtione eorum, quæ est quintæ portionis, vt fiat ele-
Electrum. ctrum ex Plinio & Alberto Magno. Præter aurum & argentum, reiicere hìc reliqua metalla, illìc imaginem virginis (immemorem sui) ex stanno conficere, alibi formam mundi archetypam ex ære. Miror illum eodem libro de Vi-
Syrtites lapis ta longa lapillum notatum punctis velut stellis quibusdam, qualem ego collo gesto, à Plinio Syrtitem nuncupatũ, etiam si Asterii species videatur, Ficinum dicere cœlestis draconis figurá habere. Non enim stellæ squammeã gerunt speciem draconi tributam, nec formã refert draconis corpoream lapis quem rotundum affirmat, quùm anfractibus draco etiam cœlestis vtramque vrsam implicet.

Notabo etiam obiter, noxios eum dæmones in figuris fabricãdis existimare in Septentrione ex Hebræorum doctrina, sacerdotem quidem ipsum, quum Dauid præcipuè aduer-
Dæmonium meridianum sus dæmonium meridianũ diuinum præsidiũ efflagitet: quamuis theologi quidam istud id psalmi

psalmi de fulgure & tempestate interpretentur. Magna ergò, vt ad rem redeam, (ô philoso phi) magna latet sub auro & lapidibus sapientia, quam quidem secundum Platonem iudicauerunt sub mysteriis priscarum religionum adumbrari: quemadmodum suprà in tabernaculo templi Hierosolymitani subnotatum est. Audi itaque ex Plutarcho: Quidam in huius Dei, scilicet Apollinis vel Solis sacris, ad vsum philosophiæ cuncta reuocarũt, ex propria quadam ratione quã in eis perspexerunt, aut eam comparant ad designandum aliud quidpiam magni momenti: ad quod etiam argumenta illius singula accommodarunt, vt de igne perpetuo, de abiete in ara, de duabus tantùm parcis, de tripode, &c.

Plato.

Plutarchus de mysteriis religionis delphicæ.

De mutationibus Apollinis Phœbive: de errore longi itineris, & ingluuie vasta, de dilatione eius membratim: Sub Bacchi specie coli tribus mensibus, tribus, inquam, vt ad vnũ, tria. Salutatio, Es, quòd solus cohæret in natura. At interpollatum celebrant sæpiusque mutatum ignem à se emisisse, crebris conuulsionibus, vt ferunt, dissolutum, & rursus contractũ in angustias, deinde proiectum. Iam vt D. Honorato Castellano Regio medico (qui philosophiam cum eloquentia magna cum laude cõiunxit) pro Parac. respõdeamus, cuiusquidẽ *Chirurgiæ documẽta mirificè laudat, de medicina dubitat, an noua instituta potuerit in lucẽ emittere, & tẽporis diuturni quodámodo experientia prescribere eorũ peritiá. Quod si ea Pa

Honoratus Castellanus.

racelſus renouaret vel explicaret, quæ olim à priſcis medicis vel philoſophis eſſent iam tradita, poſſe illum aliquam fidem ſuis ſcriptis arrogare. Idcirco hìc inſeram de auro, quæ ab inſignibus medicis multis ante ſeculis deducta ſunt: in cuius vſu medico (ſi rite paretur) maximum vitæ ſanæ pariter longæq́; fundamentum vno omnes ore ſtatuunt. Non tamen vt hodiereum vſum in reſtauratiuis (vt vocant) pharmacopolarum approbent, quòd in ijs vel decoctionibus, aurum ſyncerum nihil ſui relinquat, ab impuro nihil præter impuritatem detrahi vnquam queat. *Arnaldus Villanou.* Arnaldus Villanouanus libro de Conſeruanda iuuentute & retardanda ſenectute, cap. primo ſuper omnia extollit propriè aurum præparatum, & deinde cap. ſecundo. Et eſt ſciendum quod innouatio & confortatio cutis, fit cum potatione aquæ auri puriſsimi propriè: ipſa namque allopeciam curat & tyriam, & tranſmutat corpus humanum, ſincerat & innouat ipſum, & virtus multarum rerum approximat huic operationi. Sed ipſa eſt quæ prædictum miraculum facit, & quæ non corrumpitur, & complexioni humani eſt conueniens, & vſque humectat neque deſiccat, imò omni eſt tẽperamento temperata, omnemq́; rem excedentẽ reducit temperantia & perennitate quam habet: etiã ſubuenit ſtomacho frigido, timoroſos facit audaces, cardiacos confortat, & alopeciam, & calorem naturalem confortat & temperat: in quibus non eſt res aliqua quæ poſsit ſtare loco
eius,

eius, & virtus eius in sua manifestatur substantia: quare in ea est caliditas, ideò clarificat: & in ea est magna temperantia, ideò magnũ temperamentum efficit super omnem rem, & in ea est perennitas, ideo conseruat corpus humanum, & in ea est assimilatio complexioni humanæ, ideo incorporatur si præparetur vt decet, & in eius præparatione est totum secretũ, quod sapientes propter inuidiam occultarũt. Confirmat autem & sincerat cordis substantiam, & suæ puritatis impressione omnẽ deiicit impuritatem ab eo, & tuetur illud, & clarificat spirituum substantiam, & mouet sanguinẽ ad cutim, & inducit pulchritudinem iuuenilem, & abstergit abstersione leui. Idem capite iij. Et de cæteris quæ temperamento æquali calfaciunt & humectant est vinum temperatæ complexionis. & perla quidem est temperata temperans & confortans calorem naturalem: ipsa confert cordiacis & timorosis & sanguinem cordis propriè clarificat. ego quas vidi quosdam eliquasse, & ægritudines multę ex eis curatæ sunt. Sed illud cui non est par, est sol de minera, & sapientes assimilauerunt ipsum calori naturali sanæ adolescentiæ, & propter hanc similitudinem vsi sunt sapientes, & appellauerunt lapidem nomine animalis. Alii Chifir minerale: à quibusdam uocata est medicina perennis & aqua vitæ: & totum ingeniũ præparationis est quod in aqua purissima & potabili reducatur, cum rebus, quæ non extraneent præparationem eius. Idem in Antidota

Sol de minera.

rio capite Compositionis medicinarum. Etiã felicitamus effectum medicinarum in permiscendo eis certa, quæ potentiam habent delatiuam, velut adminiscetur crocus auro & argento, vt ea deferat ad cor, quæ sua grauedine prauè delabuntur ad secessum. Idem libro de vino, Vinum extinctionis auri. hoc vinum habet proprietatem magnam in multis cōditionib⁹ quod fit s. Extinguatur lamina auri in bono vino, quatuor aut quinq; vicibus, & dimittatur clarescere, & diligenter coletur & seruetur: habet enim virtutem confortandi cor, & desiccat superfluitates omnium aliarum fæcũ à sanguine, & substãtiam cordis & spiritus sua claritate illuminare, sua soliditate confortare, & suo temperamento temperare, & præseruare: sanguinem à cōmiscibilium corruptione mundificare, & sua grauitate superfluitates ad partem expulsionum inclinare: & iuuentutem conseruare, & virtutes mineralium perseuerare facit in earum operationibus & temperie: soluit vrinam denegatam, & sanat epilepticos & insensatos, & confert leprosis. Et multi modernorum de nobilioribus, & maximè de prę latis faciunt bullire petias auri in coquina: ergo & alii recipiunt id panellis cum electuariis, & alii in limatura sicut in confectione quæ dicitur dyacameron, in qua intrat s. vtraque auri s. & argenti limatura: & quidam vtuntur tenere frustum auri in ore & saliuam deglutire. Et quidam alii conuertunt in aquam potabilem, & sufficit modica quantitas in vice,
& in

& in auro est conseruatiuum sanitatis & prolongatiuum vitæ, vt difficile sit credere: (& sine dubio ille est melior modus) & quidam aliter & aliter diuersis respectibus, sicut sunt diuersæ hominum conditiones & complexiones. & qui asiduant tenere in ore, etiam si faciant præter rationem veram, non tamen hoc agunt absque similitudine veritatis. Nam compertum est quòd argentum in ore detentum sitim extinguit, & corallus in ore retentus confortat stomachum, & ipse quidem corallus suspensus ad collum ita quod pendeat versus stomachum, prohibet stomachi conturbationem: & expertus sum quod appositus iuuat, & deposito deficit iuuamẽtum, & si reponitur iuuamentum redit, & breuiter omne vinũ suscipit virtutem & operationem rerum, quæ euirtuantur in eo secũdum modos iam dictos. & ad ista capitula multiplicanda sufficit ingenium boni artificis & scientia simplicium. Et aurum quidem est res archana perfectisima temperamento æquali compositum, mirabili proportione elementarium virtutum, cui de compositis non est simile: & propter istud quod habet de virtutibus ex proprietate à natura, insunt ei ex influentia cœli specificæ virtutes aliæ, quoniam scissura facta cum eo non tumescit, & propter suam perennitatem est quasi stella cœli, quoniam ipsum est impasibile, & neque vmbratur neque dissoluitur, neque annihilatur, & est quasi miraculum naturę. cum sit res composita electuariis confortat

Coralli virtus.

visum, & sincerat super omnia substantiá cordis, & mineram vitæ, & palliat lepram & refrenat illam propriè: quarum operationum effectus non inuenitur nisi in vero auro puro de minera creato iussu Dei, ideo fallunt in hoc alchymistæ. Nam & si substantiam & colorem auri faciunt: non tamen virtutes prædictas in eo infundunt: imò aduertendũ est quòd quando recipitur, quòd sit de auro Dei, & non de opere manuum hominum. Nam illud propter res acutas & extraneas à natura humana, quæ in eius sophisticatione ingrediũtur, nocet cordi plurimum & vitæ. Deus enim benedictus creauit illud ad salutem humanam, videlicet ad necessitatem ei ministrandam & seruandũ opera charitatis moderato vsu. Sed ipsum propter vsum immoderatum & deprauatum, eo modo in quem conuertere tota die commolitur vanitas humana, & hominum qui thesauri sant & ignorant cui congregent ea, heu factũ est causa non salutis imò damnationis multorum, sed sperandum in misericordia Dei, qui non secundum peccata nostra faciet nobis, sed quomodo miseretur pater filiorum, nobis tandem faciet de sua pietatis abundantia misericordiam suam.

Contra aurũ Chymicum.

Auicenna.

Auri vires prodidit Auicenna secundo sui operis volumine, sic inquiens: Aurum in omnibus suis partibus æquale est, inseritur medicamentis quæ atrabiliariis competunt morbis. Ad hæc vbi actuali cauterio sit opus, ignitum aurum cæteris præstat metallis, quod vlcus

cus inde exortum citius consanescat. In ore contentum anhelitus graueolentiam tollit. Auri scobs porphyrite lapide leuigata in ea medicamenta additur, quę ad Alopecias & lichenas parantur, tam intra corpus sumptum, quàm extra medicamentis exceptum. Hæc item eodem modo diutius lęuigata adeò vt tactum ferè effugiat, oculis immittitur ad roborandum eorum aciem: bibitur autem & ad cordis affectus & animi mœrores. Ne quis verò inutilem auri tractationem existimet, quòd videatur adeò à natura decoctum, vt incrudari nequeat: Arnaldum eundem in speculo introductionum medicinalium cap. lxviij. de lacte & spermate audiamus. Sic enim in mammillis excoquitur quod eius aquositas abundanter in lactis substantiam retinetur in ea mensura, qua transiens in stomachum infantis, & vlterius perueniens ad hepar ipsius, transmutationes ipsorum sequestrantes aquositatem sic patitur, quòd resurgit incolumis, & sic circulatione naturæ mirabili prouenit, quòd sanguinis qui prius in vtero per vmbilicum nutriebat infantem, transiens per organa lactis & ipsorum exactione mirabiliter quodammodo incrudatus, fundatur in stomachum nati, & tãdem alteratus procedens ad thalamum hepatis, reuertitur in seipsum: totum alchimiæ magisteriũ filijs veritatis lucidissimè pãdẽs, & insuper arguẽs præsumptionis alũnos, qui asserũt absolutè quòd coctũ incrudari nõ potest. De hac tãdẽ philosophica auri cõfectione: idẽ

libro Practicæ summariæ cap. xxix. si inquit: Inter simplicia à proprietate valentia primum & vltimum est Elixir maioris operis alchymiæ, si ad vltimam ducatur perfectionem. De hoc Elixiri idem libro de dosibus tyriacalibus in fine. Scimus etiam quod lapis ille tyriacalis quem Arabes vocant benzoar, non viridis, sed gypseus, qui de corpore repentis animalis extrahitur in quantitate semilenticulæ sumptus in puluere, potentissimè liberat à veneno cuiuslibet nociui animalis: nec mirabimur de hoc cum viderimus magnam medicinam, quem lapidem rubeum vocauerunt, in quantitate vnius grani milij qualibet die sumptam collectionem duram quindecim annorum exterius eminentem in latere infra tres hebdomadas resoluisse. Miraq; valde sunt opera naturæ sine quorum notitia in particulari reconditur nullo modo superbus & indomitus iuuenum intellectus, qui mysteriorum contemptu imaginaria delusione fraudentur, & præcipuè cum elata præsumptio facit eos suis imaginationibus inhærere.

Magnæ Medicinæ laus.

Restant auri proprietates ex Plinio & ex Gebro Arabe explicandæ. Præcipuam gratiam huic materiæ fuisse arbitror in colore (qui in argento clarior est magisq; diei similis, & ideò militaribus signis familiarior) quoniam is longiùs fulget: manifesto errore eorum qui colorem syderum placuisse in auro arbitrantur, quum in gemmis alijsq; rebus non sit præcipuus. Nec põdere aut facilitate mate-

riæ

riæ prælatum est cæteris metallis, quum cedat per vtrumq; plumbo. Sed quia rerum vni nihil igne deperit &c. Altera causa pretij maior, quòd minimum vsus deterit, nec aliud laxius dilatatur.

Ad hæc Pliniana, dico, Solis colorem & syderum iure in auro mortalibus placere, fortè magis in hoc opaco referiēte fulgorem, quàm in lapidibus perspicuis illum transmittentibus. Cedere plumbo pondere falsò Plinius existimauit, vt quotidiano aurificum experimento comprobatur in annulis aureis fabricandis, forma prius in plumbo fusa. Cedere eidem facilitate materiæ: vel intelligendum in fusione (vt fusilitate potius legamus) at palea citissimè ardescit: aut intelligendum de ductilitate sub malleo, at nullum metallum laxius dilatatur aut numerosius diuiditur: vt pudeat Hermolaum Barbarum reliquosq; Plinij interpretes, in hac rerum naturæ historia soli propè verborū expositioni operam nauasse. *Leo Suauius.* *Contrà Plinium.*

Ad Corrosiuum Paracelsi cōferamus autoris incerti, sed doctissimi, in quæstione de peste per lapidē philosoph. curabili, sententiā. *De Corrosiuo.* *Autor quæstionis de peste.*
" Aurū (inquit) quod est materia lapidis philo-
" sophici, si fuerit dissolutum secunda solutione
" philosophica (quæ fit per aquā permanātē (li-
" cet nō fuerint elemēta ab eo sequestrata, depu
" rata & reducta, omne impurum & scoriosum
" expellet ab eo prout experientia docet. Quid
" ergò faceret si elementa fuerint sequestrata,
" depurata, reducta, refixata, incerata: & totus

" lapis in se multiplicatus: Lapis est anaticæ seu
" temperatæ complexis, & naturæ eius sunt a-
" pertæ & abundantes in gradibus aureitatis in
" tegris. Sic similis est in qualitatibus primis hu
" manæ complexioni.

Paracelsus cap. de Antim. & in lib. Chirurgiæ.

(Nota hanc opinionem ad cõfirmationem Paracelsi infra C. de Antimonio: sicut Antimonium affinat aurum, sic affinat corpus humanum) Lapis philosophicus nihil aliud est quá aurum in gradibus suis multiplicatum (stante
" proportione quæ fuit in auro primo) vt scili-
" cet quod vnius integri gradus aureitatis, iam
" sit centum & mille graduum. Si igitur aurum
" vnius gradus integri solutum philosophicè ex
" pellit omne superfluum sibi noxium (sicut do
" cet experientia) vtiq; aurum centum vel mil-
" le graduum integrorum (quod est lapis philo
" sophicus) expellet omne venenum &c. In qua

Ad Paracelsum de comparatione auri.

litatibus primis elementorum, id est, eorum proportione, nihil differunt homo & aurum, sed quo ad crassitiem & subtilitatem elementorum, differunt. Auri solutio prima (quæ
" est incineratiua) quodammodo depurat
" scoriositates Mercurij sibi admixti: sed se-
" cunda solutio abijcit omne impurum sibi
" admixtum: tertia verò solutio, quæ est tin-
" ctura, longè melius purgat quàm secunda.
De tertia Arnaldus hic in morbis curandis.

Geber. Solis creatio.

Iam audiamus Gebrum de auri natura siue Solis. Sol creatus est ex subtilissima argenti viui substantia & clarissima fixura, & ex substantia pauca sulphuris mundi & puræ ru-
bedinis

bedinis fixi, clari, & à natura sua mutati, tingentis illam. Quia autem subtiles & fixas habuit partes, ideò potuerunt partes eius multum densari: & hęc est causa magni ipsius ponderis. Quòd claram & mundam argenti viui substantiam habuit, per splendentem eius fulgorem & radiantem cõstat, non solum de die, verùm etiam de nocte sese prodentem. Quòd verò fixam & absq; sulphure adustiuo habeat, patet per omnem operationẽ illius ad ignem, in quo nec minuitur nec inflammatur. Finem iam faciam per Augurellum in Auro. *De auri pondere ad Plinium.* *Splendor cõtra Plinium*

Semina sunt Auri, quamuis abstrusa recedant
Longius, & multo nobis quærenda labore.

In Cap. IX. de Spiritu vini.

ERrores ingentes emanauerunt ex spiritu vini adeò à Ioanne Rupescissa, deinde à Raymundo Lullio simia imitatore celebrati. Recipe (inquit) vinum rubeum vel album. Solus Paracelsus liquidò demonstrat nõ esse exhaurienda dolia in hoc philosophandi negotio. De pinguedine autem quam dicit ascendere, nota ascendere tanquam aerem in spheram suam: nam rectè aquam ardenté quæ inflammatur igne Marsilius Ficinus censuit aeream esse, non igneam vt vulgus medicorũ: Aer enim ignis est alimentum. Errorem autẽ vini ad metallorum dissolutionẽ adhibiti coarguit eleganter Augurellus, Raymundi ænigma exponens. *M. Ficinus de aqua ardente.*

Nec tum ſtillantia vina Miſcebat,&c.

Non præteribo miram inſcitiam vel auaritiam ætatis noſtræ, pro vſu corporis humani vinum non per alembicum vitreum, ſed per cannas brachiales aeris, diſtillantis. Coarguit falſi iſtam opinionē Arnaldus Villanouanus lib. Speculi his verbis, Operatiua potentia debet obiectum ſibi collimare & determinare. Per quod detegitur ignorātia fatuorum Chymiſtarum, qui de potentia medicinæ applicabilis ad mineralia non aliter iudicant, quàm determinetur à medicis corporum humanorum. Ab hac quæſtione nō aliena eſt mea cum Adriano Turnebo in aduerſariis de vino diſceptatio, quæ eſt huiuſmodi: Doliare vinū non ineptè videtur ille conferre cum vino diffuſo, ſed poteſt nihilominus dici ad diſcrimen vini pendentis (vt ex Catone de Re ruſtica licet animaduertere, ſecundum ſcilicet propoſitam materiam) quum certum ſit doliare aliud nō ſignificare, quàm in doliis conditum, ne in eo temerè Turnebus legum interpretes reprehendat. Vis enim verbi, dolium ſpectat & ex occaſione nunc ad pendens, nunc ad iam diffuſum à doliis refertur. Rectè ille quidē Lambinum doctiſsimū virum ſecutus Horatii interpretem.

Arnaldus Villanouanus.

In Adr. Turnebum de vini differentiys.

Dionyſ. Lambinus. Horatius.

Et niſi mutatum parcit defundere vinum.

Diffuſum tanquam à dolio immenſo in plura vaſa minora teſtacea. fuſum à defuſo diſtinguit. De mutato verò vino ego obiter dicam, intelligi vinū à ſuo ſapore natiuo immutatū:

De

De quo Plinius: Sub canis ortum vina mutantur quædam, postea restituuntur sibi. Hæc autem immutatio vini est in deterius, scilicet in aliquem acorem, vt mutatum etiam dicamus quod Iuriscõsultus acidum appellauit. De cuius sententia disputatio mihi quõdam incidit cum præsule Montispesulani hospite tum paterno, non satis mentem legis cõcipiente: quę rescindi venditionem censet, si acetum traditum sit sub vini venditi nomine, nec emptorẽ id recipere teneri: cuius speciosa est ratio, non eandem esse vini atque aceti οὐσίαν, id est, essentiam. Ideò acetum Plinius nequitiam vini appellauit, sine qua nec mitior vita degi posit. Acidum autem vinum non redhiberi, quia vinum sit, quamuis sapore paulum immutato. Quæ duo vocabula, lingua nostra Gallica exprimere possemus vinaygre & aygreuin, quẽadmodum in iure syluarum eadem distinguit lignum iacens à pendente, bois mort & mort bois. Addam indubitatum experimentum meum, de vi atque natura vini non omninò extincti in vino acido: à quo ego per distillationem eduxi liquorem subtilem (quam aquã ardentem, seu aquam vitæ vulgus nominat) cuius ne gutta quidem vna ab aceto elici potest. Acetum ideo Albertus vinum dixit mortuum. De quo restat mihi alia quæstio cum eodem & Cl. Galeno. Nam si vis vini esset prorsus in aceto intermortua, vnde acumen illud in illo & vis dissolutrix, quæ igneam facultatẽ continet? Hanc Albertus dicit in aceto

Plinius de aceto.

Experimentum distillationis.

restare tanquam ignis reliquias in cineribus. Ego verò ex opinione veterum medicorum à Galeno prolata lib. de Simplicibus (non tamē approbata) existimo proficisci à corruptione, qua uinum in acetum conuersum est, & eius essentia quinta tota exhalauit, sicut apparet in alitibus & piscibus esculentis: quæ si diutiùs quàm par est, condantur, acumen asciscunt linguæ palatoq; noxium. Corruptio autem est interitus essentiæ rei, non alicuius tantùm qualitatis. Mutatum ergo vinum atq; acidum intelligetur secundū dialecticos in ratione qualitatis, non ipsius substantiæ, quæ alterationis ab illis nomen recipit: hæc ad Turnebum de subtilitate rerum naturæ non tantùm grammatica verborum altercatione.

Galenus de Simplic.

Arist. in Categor.

Supersunt igitur mysteria de vino ex priscis magis (ne vinū Artephii oleumq; obiter prætereamus) vbi admonuerimus quosdam subtiles homines in Raymundo viuum pro vino legere, atque intelligere de aliquo argento viuo philosophorum: quod est album pro opere albo, rubrum pro rubro lapide. Ex eadem igitur materia sana integraq; habemus vinum, ex eadem corrupta habemus acetū: ex illa ipsa stillata exilit aqua ardens, tandem ex aqua ardente circulata conficitur essentia quinta. Essentiam autem quintam vini philosophici (quod Paracelsus hîc nuncupat vinum salutis) Elixir Arabes sua lingua vocant: H. Cardanus futilis an vanus, lib. de Ethere (quo titulo vadimonium desereretur) hîc ait:

Viuum pro vino.

Essentia V.

In Cardanū lib. de Ethere.

Elysios

Elyſios miratur Græcia campos. *Virgil.*

Tanquam Elyſir appellandum ſit à fœlicitate vitæ quam promittit: quum Elyſij potius ἀπὸ τῆς λύσεως, id eſt à ſolutione corporis, commigrant in amœna piorum concilia: aduerſus quam ſolutionem lib. j. remedium Elyxiris à Paracelſo ſtruitur. Sic Grammatici in vocabulo Geneſareth, & ſimilibus ridiculum iudicant à generanda aura in voce Hebraica Græcam quærere etymologiam. Quin potius à ſolutione rerum, ſi Elyſir ducimus à Græcis, intelligamus temperatiſsimarũ quidem & quodammodo incorruptibilium: ſi Elyxir à Latinis, quibus lixa eſt aqua, elixum accipiamus aqua coctum, ab earum rerum elixatione, videlicet auri poculenti, margaritarum liquidarum, &c. quæ in liquorem redacta homini inſtaurando recreandoq; propinantur: ex iisq; Electuarium, vt vocant, conficitur confortatiuum mineræ omnium virtutum. Nam dilemma iſtius mancum eſt ac futile: inutile eſſe illud poculum ſi materia huiuſmodi non corrumpatur, quòd à ſtomacho non ſubigatur: quicquid autem corruptum ſit, id eſſe noxiũ: vtrumuis enim ſumpſerim, contrà me non facit. eſtq; tertium quidpiam quod ipſe non animaduertit, quippe corruptio quædam ſub cõſeruatione formæ eſſentialis: cuius pleni ſunt Spagyrorum libri. Nullum ergò alimentũ vtile homini Cardane, quia corrumpi eum neceſſe eſt vt in nutrimentum vertatur. Elyſir verò quod iſte præſcribit ex aquę ardentis circula-

Elixir qu.

Geneſareth.

Nonius Marcellus.

Dilemma Cardani.

tæ Ethere, Ioannem de Rupescissa & Lullium inscienter secutus, vult intelligi simplicissimum, quum illi res alias morbis quibusq; proprias in illa sua Quinta essentia infundant, in qua vires ipsæ suas excorporent. Raymundus porrò negat illi tantam odoris suauitatem inesse; antequam corpus in ea sit dissolutum. De cuius odore, nescio quo pacto ista apud illum sibi constent. Sapor ætheris subacris est, subacer dicere voluit, vt alibi sæpius, subdulcisq́; " color vt nitidæ aquæ, odor verò, ni oblitus " sum, quod mirum est, violaceus fermè. Et " alibi. Verum Elysir colore est vini, odore acri quidem & vehementi.

De odore Aetheris Cardanici.

Non autem mihi licet hîc diutius dementiã hominis istius persequi, ne cõmentarioli modum excedam. Finem itaq; hîc faciam per mysteria Bacchi trietherica, non poetica, vt expectatis, sed philosophica.

Bachi mysteria.

Zoroaster.

Super xj. aphorismum Zoroastri de duplici ebriatione Bacchi & Sileni, id est, ex Cabala de duplici vino.

Item. Qui Apollinẽ adibit, mediabit opus per Bacchum Triethericum & consummabit per nomen ineffabile.

Non inebriabitur per aliquem Bacchum qui suæ musæ prius copulatus non fuerit. Qui perfectè in animam redierit, primæ formæ suam formam æquauerit.

Qui huius conclusionis opus tentauerit, Iouem adibit tertium vt viuentem, non vt viuificantem.

In Cap.III.de Auro, & cap.IIII.de Perlis coniunctim.

PErlas accipio allegoricè pro lapide lunæ (ſicut vnionem Rogerius Baccho lib.de Mirabili poteſtate artis & naturæ appellauit: & Arnaldus Villanouanus in opuſculo quod incipit, Glorioſiſsima margarita. Argumentum, quia poſt cap.de auro debet ſequi cap.de argento, quo nihil propinquius eſt auro ſecundum Gebrum cap.de cineritio. Rogerius Baccho. Arnaldus Villanouanus.

Quùm eius elementa in temperationem redigun-tur, verè exiſtit Quinta eſſentia citra amiſsionem formarum.

Reſtat vt intelligamus an dicat reduci cum auro, vt Arnaldus in Roſario magno: an eadē cum auro, id eſt, præparatur ſimili modo, ſicut Raymundus in magia naturali.

Citra amiſsionem. Ita loquuntur ſpagyri de ſuo fermento, quod non eò deducitur per magiſterium vt labatur à temperamento: ideò ſubdit,

Porrò ſi iuxta præſcriptum,

Id eſt, ſecundū regimina artis perlas in Quintam eſſentiam, id eſt, in ſulphur album naturę, tranſmutare velis pro ratione Quintę eſſentię (deeſt, auri) age neq; quicquam immuta præter principium, id eſt, liquorem diſſoluentem: quia quę prima eſt materia in cōficienda quinta eſſentia ſolis, illa debet adhiberi vltima in cōficienda quinta eſſentia lunę. Nā opinor ex Arnoldo in paraphraſi Roſarii in aquā calcina Arnaldus,

tiuam solis, esse fortiorem, aqua calcinatiua lunæ, quæ postea adhibetur lunæ ad eius dissolutionem quam operabitúr in ea, quùm nó potuerit in sole operari nisi calcinationem, sicut quibusdam apparuit in aqua Stibij, calcinatio foliorum, lunæ, solis, foliis integris manentibus atq; illæsis. Ideò Raymundus diuersificat solutionem solis à solutione lunæ in lib. j. de Quinta essentia quum dicit: Soluendum solem in lunaria pura cum tanto pódere quintæ essentiæ: quæ quinta essentia est illa prima materia, quam hîc dicit in conficienda quinta essentia solis. Quæ nam autem sit illa, docet his verbis:

Ea ex huiusmodi recepto elicitur omnium imprimis redige limonem in liquorem.

Mercurius liquor. Id est: fac Mercurium ex omnibus metallis. Nam quũ Iliastem dicat constare sale, sulphure & liquore, liquorem pro Mercurio passim interpretatur Paracelsus. Sic Plinius argentũ etiam viuum appellat vomicam liquoris æterni. Noster autem ij. cap. huius lib. dicit.

In his omnibus est vna eademq; temperatio quæ inter metalla sub Mercurio delitescit (Mercurium dico qui omnibus metallis inest.)

Limonem autem Raymundus limos metallorum dicit in iij. distinct. lib. de Quinta essentia vel limos deserti. Integumentum ergo parabolæ vel allegoriæ est in liquore limonum, id est, mali aurei vel citrij. quo aiunt perlas seu vniones vulgares dissolui, vt Cleopatræ in aceto.

Denuò

Denuò reeleuatum in perlæ calcinationem arripiunt, id eſt, ſupra lunam calcinatam accipiunt Spagyri: exiccatæ ſcilicet perlæ reſoluuntur eo liquore. Quæ reſolutio lunæ in elementum, cui prorſus nulla complexio ineſt, erumpit. Eſt enim huius vis vniuerſa,

Id eſt, non habet tunc vim particularem huius vel illius Mercurii, ſcilicet Iouis aut Veneris, ſed omnium naturam ſimul comprehendit. vel: Tunc eſt reducta luna in quintam eſſentiam, quæ continet in ſe omnes virtutes elementares harmonicè: nullam verò ſapiet qualitatem vnius elementi priuatim, id eſt, nõ aquæ, non terræ, &c. quæ ſententia mihi magis probatur.

Nolo hoc loco admittas rationem extractionis quam Archelaus præſcribit, neq; ſimiles alias ſeparationes Spagyricas,

Id eſt, pro fermento, de quo hîc, non fiunt regimina diuiſionum, &c. ſed tantùm incorporatur luna cum tota ſubſtantia cum corroſiuo, *Corroſiuum.* de quo ſuprà cap. de auro, à quo mortuum viuificatur, id eſt, cum hydrargiro philoſophorum vel menſtruo corporeo diſſoluente, coniuncto ſcilicet cum hydrargiro lunæ diſſoluto vt patet ex verbis illius cap. de auro.

Corroſiuum auro præſtat inquantum eſt aurum,

Id eſt, ſol ipſe per corroſiuum reductus in eſſe quintum, & viuificatus eſt præſtantior ſole vulgi mortuo quod pro fermento adhibetur.

Nec abhorreas ab iſto corroſiuo,

Id eſt, à menſtruo, metu ſcilicet, ex Raymun-

do in Codicillo corrosionis: quia menstruum quod nunc accipis est confractum.

Et eius realgar est mortuum in elixire auri,

Id est, in eius quinta essentia iam confecta: quod ipse dicit his verbis:

Nam superior transmutatio non modò ea membra quæ debilia sunt,

Id est, imperfecta, quæ etiam infirma ab Arnaldo dicuntur, pristinæ valetudini restituit, id est purgauit secum. Corrigit enim ac emendat quicquid non est syncerum cap. de auro.

Et si tanta vis auri est vt corpus, scilicet physicum infirmum conseruet,

Id est, secum coniunctum seruet ac liberum reddat ab omni ægritudine, neque corrumpi id sinat, id est, vt non sit deinceps obnoxiũ infectionibus sulphureis quæ metalla inficiunt & corrumpunt. Quod confirmat autor quidá incertus in epistola de peste. aurum in suis dissolutionibus expuere semper sordes & scorias Mercurii. Sic tandem vis arcani, id est, spiritus auri extractus superat omne venenum, id est, in sui commixtione confringit ignem contra naturam: quod realgar siue sulphur igneũ moritur, & abit in tincturam medicinæ præstantem, id est, simul fit sulphur philosophorum & tinctura. Sicq; in hunc modum peracta inhumatione, id est dissolutione fermenti, gignitur aurum potabile: quod ideò lib. ij. dixit differre à Mercurio solis.

Aurum potabile. *Mercurius solis.*

Hanc dosim seu magis,

Lego mauis. harmoniam quandam præscribit

bit peruulgata ſpagyrorum praxis, id eſt, coniunctioné ſpiritus cum ſuo corpore cum quo non poteſt niſi harmonicè conuenire vt idem ſecum. De qua harmonia Arnaldus lib. ij. Elucidarii, vel præcedit præparatio hydrargiri ex teſtamento Raymundi. *Arnaldus in Elucidario.*

Poſtremò, obſeruabis de elixire, cuicunq; conferetur elixir, idem ita tranſmutat, vt haud diſsimiliter ſibi fixum porrò maneat.

Hæc eſt proiectio finalis per quam quod tranſmutatur metallum fit fixum ſicut à quo perfectum eſt.

Iam vt reuertamur ad cõplementũ c. de perlis.

Superior tranſmutatio non modo, &c.

Quod iam expoſitum fuit.

Sed ea etiam quæ valida ſunt ac robuſta,

Ideſt, corpora perfecta, quę firma li. ij. appellat

In eodem vigore conſeruat,

Id eſt, in illa tranſmutatione conſeruata eſt ſpecies, forma & virtus auri quamuis Raym. dicat labi à temperamento.

Hinc fit quod perlæ pluris quàm reliqua ſpermata fiãt

Id eſt, hydrargiron lunę eſt præſtantius quàm argentũ viuum, ſeu ſemen vilis materiæ menſtrui, & fit iure pluris, quia illud etiam ſemen reſtituit ſanitati. Hanc vitam ſaná idcircò ſtatuit in præfatione huius lib. iij, eſſe fundamentum vitæ longæ, id eſt. operis magni quod eſt longiſsimi temporis ad comparationem operum particularium ſeu minorum.

Inter quas longè præſtantiſsimas oſtrearũ eſſe dico.

lego, duco, Oſtrearũ, id eſt, lunæ quę ſplédida

eſt & lucens, ſicut oſtrea intrinſecus fulgent ſplendore quodá, vt dicitur orientali: niſi ma-uis intelligere non de lunæ ſplendore in cor-pore ſuo naturali, in quo præcellit auro ſecundum Pliniũ, ſed quum eſt ſperma, id eſt ſubli-matur in terra foliata, quæ eſt ſicut tela vel pars interior conchyliorum: qualem vidi M. Natalis Ramart medici Regii, & cõfirmat Raymundus lib. de Quinta eſſentia cap. de ſulphure naturæ.

Natalis Ramart.

Quanquam hoc loco non minimas partes ferat, ſeu Archidoxa habent, homunculus, quem Necromantici Alreonem falsò, & philoſophi naturales mandrago-ram appellant: tamen non niſi in cõmunem errorem abijt propter chaos illud, quo iſti offuſcarunt verum homunculi vſum.

Archidoxa Parrhiſian liber eſt Paracelſi.

Sperma hoc quod tantopere extollimus, nõ eſt totum ex luna, ſed magnam in eo partem ſibi vendicat chaos, ſcilicet quatuor elemen-torum inferiorum ſimul cõfuſorum, cum quo facta eſt eius ſublimatio. Mandragoram Augu rellus Glauram appellauit, vt ea ſit ouis, è qua vellus aureũ: mandra autem Grȩcis eſt ouile.

Chaos.

Mandragora.

Ruricolæ Glauram priſci quam nomine dicunt.

Origo eius eſt etiam cuiuſdam ſpermatis, &c. Hæc de prima materia videntur illius chaos, quæ Demogorgon nuncupatur, nempe quæ reducitur in hydrargiron. originem ſuam, de qua non loquemur, inquit, amplius & clarius quàm alii philoſophi, qui vel ſilentio ſuppreſ-ſerunt, vel variis integumentis verborum re-

Demogorgon

rumq; obduxerunt: satis apertè loquuti de materijs perfectis solis & lunæ.

Homunculus.

Notabo tantùm ex Rogerio Baccone Anglo vocabulum hominis in sensum etiam metallicum vsurpari: volo (inquit) ouum philosophorum dissoluere & partes philosophici hominis inuestigare. Idem Paracelsus lib. de Gradibus VI. In dosibus fixorum medicaminum per naturam vel per artem dicit, de homunculis, instar magnitudinis auellanæ sit dosis. Diuus Thomas lib. de Essentijs essentiarum modum præscribit homunculi formandi, cui ratio desit, cætera, hominis simillimi: quodquidem non mihi videtur explicatu dignum.

Homunculus. *Rogerius. Bacco.*

Enarratio de Alreone, homunculo, Mandragora.

Antequam de Alreone tractemus, hîc præfabimur quæ Nicolaus Erythræus de hydra monstrosa scripsit: hydram septicipitem esse (inquit) tam verum est, quàm Castorem & Pollucem ortos ouo, Plutonem in inferis regnare, natos è serpentum dentibus homines armatos &c.

Nico. Erythræus.

At, Qui Alreonem, Mandragoram, de homunculo vero nudis verbis intelligent, habebunt D. Thomam suffragatorem lib. de Essentijs essentiarum: qui autem parabolicè, excutiant nunc ista.

Virgilius.

De Phœnice & Basilisco, ad difficultates etiam Plutarchi & Hesiodi obiter extricandas, ex Plinio & ex Alberto Magno libris de Animalibus.

Plinius hæc. ARabiæ phœnicem, haud scio an fabulosè vnum in toto orbe nec visum magnoperè. Aquilæ narratur magnitudine, auri fulgore circa colla, cætera purpureus, cæruleam roseis caudam pennis distinguentibus, cristis faciem caputq; plumeo apice honestante. Manilius autor est, neminem extitisse qui viderit vescentem: sacrum in Arabia Soli esse: viuere annis sexcentis sexaginta: senescentem casia thurisq; surculis construere nidum, replere odoribus & superemori. Ex ossibus deinde ac medullis nasci primò seu vermiculum, inde fieri pullum &c. Vt ergò Plutarchi sudorem diligentius quam in compendio nostro abstergamus, in immensa illa supputatione annorum phœnici: nec Plinium in hac alite vnica incredulitatis temerè arguamus, ex Alberto proferam mysterij illius rationem, quoniam eius hodiè libros audio raros esse reptuq; difficillimos. Phœnicem auem esse Arabiæ scribunt in Orientis partibus, qui magis Theologica mysteria, quàm naturalia perscrutantur. Dicunt solam esse in sua specie, & 340. annis solitariam viuere. Aiunt esse magnitudinis aquilinæ, capite pauonis, fulgore aureo purpureum, cauda longa, pennis quibusdā roseis interscripta, sicut interscribitur cauda

Albertus hæc.

Phœnicis descriptio.

da pauonis quibuſdam orbibus ad modum oculorum formatis: & eſt hæc varietas miræ pulchritudinis. cumq́; ſentit ſe ætate grauari, conſtruit nidum in alta & abdita ſuper limpidum fontem ſita arbore ex thuræ & myrra & cinamomo & alijs aromatibus precioſis, & ruit in nidum, & ſe radijs feruentibus obijcit ſolis, & illos reſplendentia pennarum multiplicat, donec ignis elicitur: & ſic ſe cum nido incendit, & incinerat, dieq́; altero dicunt vermem in cineribus naſci, qui alis die tertia aſſumptis, intra paucos dies in auem priſtinę figurę commutatur, & tunc auolat. Referunt etiam hoc iam ſemel in Helyopoli Aegypti ciuitate accidiſſe, quòd ſuper compoſitionem lignorum ſacrificiorum, auis hæc aromata comportans ſe incendit, & ad viſum ſacerdotis prius dictomodo duabus generationibus vermis & auis formata eſt & auolauit. Hæc ſicut dicit Plato non ſunt à nobis calumnianda quę libris ſacrorum delubrorum conſcripta referuntur. His addam ego ex Martiale poeta æſtimationem opum phœnicis.

Quicquid & in nidis vnica ſeruat auis.

DE BASILISCO.

Baſiliſcus ſerpens eſt, qui ad interpretationem latinam regulus vocatur: quod idem in græca ſonat Baſiliſcus. Cauſa autem nominis duplex eſt, vnaquidem quia coronatũ caput habere videtur: habet enĩ additamentũ ſupra caput guttatũ albo & hyacintino *Albertus.*

colore, velut quibusdam interlucentibus gemmis sit diademate regali coronatus. Longitudo autem serpentis huius est duorum palmorum, & caput eius est acutum valde, & oculi eius sunt rubei, & color eius ex nigredine ad cinereitatem declinans, & flatus eius adurit totum super quod incedit, ita quod in circuitu cauernæ eius nihil oritur omninò: quia exiccat arbores & herbas & fruteta, & scindit lapides & inficit aerem. Ita quod si quando auis volat de supra locum in quo manet, statim cadit mortua, & similiter aliæ bestiæ, & alij serpentes præter solum Armene, qui multa austeritate coniungitur Basilisco. Basiliscus etiam sibilo suo interficit, dummodo exaltet eum, eo quod sibilus cum spiritu suo defertur & ad minus ad tantum spatium sibilus interficit, ad quantum cum spiritu propagatur. In eo autem spatio in quo simplex qualitas soni sine spiritu extenditur, non puto quod interficiat Basiliscus. Adhuc autem interficit visu: moritur enim omne super quod cadit visus eius.
Quod autem dicit Plinius & alij quidam, Basiliscum non occidere hominem nisi prius viderit hominem, quàm è conuerso videatur ab homine, & quod visus hominis si prius videat Basiliscum interficiet Basiliscum, ego non puto esse verum, quia rationem non habet: nec Auicen. & Semeryon Philosophi qui experta loquuntur, hoc narrant. nec hæc est causa quod visu interficit, quam quidem dicunt, quòd videlicet radij egredientes ab oculis eius

eius corrumpãt ea ſuper quæ cadunt, quia nõ eſt ſententia naturalium, quòd radii ab oculis egrediantur, ſed potius cauſa corruptionis eſt ſpiritus viuus, qui lõgè valde diffunditur propter ſubſtantiæ ſubtilitatem, & hic corrumpit & necat omnia. Hunc ſerpentes omnes alii timent ſerpentes, & fugiunt, præter eum quem nominauimus, & fortè fugit etiam ille aliquando: cuiuſcunq; animalis corpus momorderit corpus illud liquefit, & inflatur, & currit virus & ſtatim moritur in momento. Et ſi alius homo appropinquauerit illi mortuo, moritur etiam ille, & ſi tangatur lancea longa vel virga, tangens illam virgam moritur. Et hoc iam accidit militi cuidam, qui tetigit eum lancea, & ſimiliter eius equus mortuus fuit, quando cũ eadem lancea caſu tetigit tibiam equi ſui. Hic autem ſerpens multiplicatur in terra Achobor & in Nubia. dicitur autem quod muſtela interficit eum, & quòd incolæ inuoluentes ſe multis faſciis immittunt muſtelas in antris eorum: & quod ſerpens figit muſtelam & muſtela interficit eum, & hoc eſt verum: hoc videtur eſſe mirabile, & dicunt quod vbi aſperſus fuit cinis eius, quod ibi non nidificant araneæ, nec apparent alia venenoſa, & ideo antiquitus aſpergebantur cineres eius in templis. Dicit etiam Hermes quod argentum cinere eius delinitum, accipit auri ſplendorem, & pondus & ſoliditatem. Dicunt etiã quidam quod eſt quoddam Baſiliſci genus quod volat, ſed de hoc non legi ego in libris ſapientum philo- *Hermes.*

ſophorum. Dicunt etiam quidam, quòd generatur de ouo galli, ſed hoc verißimè falſum eſt & impoßibile. Et quod Hermes docet Baſiliſcum generare in vtero, non intelligit de vero Baſiliſco, ſed de Elixir alchimico, quo metallo conuertuntur.

Quod autem dicunt decrepitum gallum, ouum ex ſe generare & hoc in fimo ponere, & hoc teſta carere, ſed adeo duræ pellis eſſe q̃d ictibus fortißimis reſiſtat, & quod hoc ouum fimi calore fœcundetur in Baſiliſcum, qui eſt ſerpens, in omnibus ſicut gallus, ſed caudam longam ſerpentis habet: ego non puto eſſe verum. Tamen Hermetis dictum eſt, & à multis acceptum propter dicentis autoritatem.

Pyradum. Pyradum eſt animal quantitatem habens bouis, ramoſis cornibus ſicut ceruus, ſuillum ſiue porcinum habens veſtigium, colorem habens, verſipilos villoſos & condenſos: hoc animal dicunt colorem in timore variare ad ſimilitudinem corporum iuxta ſe poſitorũ, & ideo deliteſcens inter ſaxa alba album efficitur, & latẽs inter fruteta efficitur viride, in quo ſicut dicit Hermes conuenit cum Baſiliſco, & propter huiuſmodi mutationem aliquoties effugit venatorem.

Hæc ego omnia ex Alberto verè Magno ad verbum (ne me fortè barbariȩ temere in ſimules) idq; de induſtria, ne deprauatȩ potius ſententiæ in re tanti momenti & ponderis, quàm immutati ſolummodò ſermonis cuiquam ſuſpectus eſſem.

Eò alludit Augurellus poeta mysticus in lyricis ad Hermolaũ Barbarum de Chameleonte.

De Chameleonte Augurellus in Lyricis.

Est repens pedibus paruus humileo
Quod vernis animal flatibus & leui
Tantùm vescitur aura,
Hermolæ coloribus
Contectum varijs, &c.

Deinde addit eum vt scrutatorem rerũ grauissimum, non ignorare quæ lateant sub cortice. Ille ipse in Chrysopeia magna sic mysticè multa commemorat de Linceo, & eius nauigatione simili expeditioni Iasonis Thessali ad vellus aureũ. quæquidem enucleatio est laborum artis philosophicæ exantlandorũ: quemadmodum Glaura nympha paulò post naturę opus quietum & tranquillum refert.

Linceus.

Glaura.

Est locus summo secreti in vertice montis
Fons vbi decurrit nitidis argenteus vndis
Et specus exesum tendens aperitur in antrum
Intus habet præstans diuino numine virgo
Ruricolæ Glauram prisci quam nomine dicunt.
Huc densos inter vepres angustus & asper
Accliuisq; ægrè perducit callis euntem.
Vestibulum ante ipsum speluncæ læuis & æqua
Planicies non ampla tamen, horrentibus vmbris
Cingitur & fluuij ripis & margine tophi
Obducta viridi musco spißisq; corymbis.
Ingreditur verò si quis fœliciter, omnem
Continuò labem humanam (mirabile dictu)
Exuit, ac pondus subitò mortale relinquit:
Et purus penitusq; leuis fit spiritus illi

Quiq; aditus lustret cunctos agilisq; feratur
Per cuneos, quibus in medijs sedet aurea virgo.

EXPOSITIO
mysteriorum.

EX his ego concludam mysteriis eandem esse rem Phœnicem, Basiliscum, Glauram, Mandragoram, Chameleontem in parabolis, de qua scribit R. Bacho, accipias rē vnam, hoc est secretum secretorum naturę, potens mirabilia. &c. Vbi paulò post: Natura cœlestis debilitatur, &c. quæ est corpus illud supernaturale, de quo Paracelsus lib. j. Ideò Proclus, Æuum est per se animal in secunda & media trinitate. (Eandem ego intellexerim hanc secundam & tertiam.) Ideò idem Augurellus.

Natura cœlestis est corpus supernaturale.

Vnum opus atq; vnam secum rem deniq; ducet.

Cum quo consentit Ioan. Valentianus in fonte Amoris. Sic ille de ætate rei.

Semen vbi proprios æui iam compleat orbes.

Nam quæ restant in Plinio de Phœnice:

" Principioq; iusta funeri priori reddere & totū
" deferre nidum propè Pancaian in Solis vrbē,
" & in ara ibi deponere. Cum huius alitis vita
" magni cōuersionem anni fieri, iterumq; signi
" ficationes temporum & syderum eodem re-
" uerti. Hoc autē circa meridiem incipere (quo
" die signum arietis Sol intrauerit.

Ista sunt vt verè ait idem Plinius fabulosè tradita: ne quis falsa fortè intelligat, sed fabulam

à Manilio proditam primo atque diligentissi mo togatorum, senatore illo maximis nobili doctrinis doctore nullo. Aliud enim est falsitas, quæ ponit rem quæ verè non est: aliud fabula ex Aristotele quæ veritatem rei tegit velatq;, quippe verax sentẽtia, falsa scripto. Ideò dixit lib. vij. Et reliqua fabulosius in Phœnice & Nymphis. Itaque Solem semper hìc accipe in fabula terrestrem: annos vt in Arabica alite, arabicos, videlicet dies: Conuersionem intellige ex Arnaldo & Lullio rationem operis à Sole terrestri. A meridie incipere supputatio nem certum est in Astronomia & Ephemeridibus: sed vt scribit Tritemius de Oriente in Steganographia, se non accipere vbi quotidiè Sol oriatur, sed vbi ab initio creatus fuit: sic iu dicant sapientes magi cœlestium morum in octaua sphæra esse obseruandum, eosq; qui in noua illum spectent effectu in formandis ima ginibus & sigillis sæpe frandari: quod vtique Cor. Agrippa annotauit. Sic hoc anno 1567. ingressus Solis in ariete, non est obseruandus ex vulgari opinione in die vndecimo Martii mensis, hora quarta, min. 39. cui luna concurrit in eiusdem signi grad. 8. min. 1. in eleuatione poli Parisiis 48. gr. 40. minu. sed H. 11. Diei 27. Martii, eodem tempore in 1. grad. 30. min. Quod ad hunc ingressum Solis in ariete, in opere philosophico seruandum, pulchrè cecinit idem poeta.

Manilius.

Fabula quæ differt à falsitate.

Tritemius in Steganographia.

Oriens quid.

Solis ingressus in signa.

Ac si me quicquam studeas audire, sub ipsum
Ver adeò incipies, quo totus parturit orbis,

Augur. lib. iij. Chrys.

Et quo se rebus aperit natura creandis.
Raymundus Lullius in testamento.

Quádo materia est cōfusa omnino: tum Sol noster est exaltatus in signo Arietis, & ibi initium esse debet magisterii nostri. Quia primus est gradus sublimationis, quem persequi oportet supra lapidem. Conuersio autem scite & argutè descripta est ab eodem Arnaldo in rota Astrolabica, quam vobis, si dabitur, depingam. Reuersio temporum & syderum eôdem, dicitur ab Augurello ipso, reditus Iasonis in patriam. ilicet. Autor est Manilius neminem vidisse Phœnicem vescentem. De victu illius Augurellus in Chrysop. ænigmatica sub ouis parabola.

Vescebatur auis paßim frondentibus herbis
Apricos vaga per campos, vbi nulla virentes
Vrit hyems glacie segetes vel solibus æstas.

Et in lyrico velleris aurei.

Ouem relicto pastor educens grege
Alcon sub antro collocat:
Ibiq; solam sedulus sectis alit
Herbis & haustis fontibus.

Est enim alimentum, secúda & posterior pars operis mystici. Cuius Arnaldi & Ray. Lullij pleni sunt libri. In coloribus Phœnicis & lapidis similitudo est euidens.

In Cap. V. De extractione quintæ essentiæ ex Hebris.

POst cap. de auro subsecutum est cap. de perlis, id est, de lunę lapide precioso. Iam vide-

videtur rectè atq; ordine sequi hoc cap. de herbis, id est, vegetalibus secūdū Ray. in mēstruo vegetali, à quo supra dicta dissoluuntur: Ideò dicit. Suprà, Quintæ essentiæ mentionem fecimus quæ citra vllam extractionem fieri debet, id est, de fermento corporis perfecti quod attenuatur tantùm secundū Gebrum, & subtiliatur, vel opinione quorundam de ipso corpore, cuius in cursu magisterii substantia (quę est natura vniformis) non separatur. Sed in Elixire herbali, id est, materia herbali & vegetali. (sicut suprà dixit, aurum esse potissimum Elixirum) Idcirco dicit his ad differentiá perfecti, inesse diuersitatem essentiarum, id est, illud esse Homogeneum, hæc Etherogenea.

Ad intelligendū cap. hoc præmittenda sunt quæ dicta fuerunt cap. iij. de auro: Auri si rationem intellexeris, aliorum quæ à corpore separantur non potes non nouisse, id est, non potes rationem tenere auri huius in præparatione fermenti vel quintæ essētiæ in præcursu operis absque cognitione hydrargyrorū à corporibus extractorum: de quibus Geber lib. de Inuestigatione hoc est hydrargyron de hydrargyro, de spirituali corpore extractum.

Reliquorū quę à corpore nō separantur infrà. Vbi vini tractatio auspicabitur, nō obliuiscemur. Hìc ergò dicit in herbis esse diuersitatē substantiarū: ideò extractionem esse necessariam ad eliciendam quintam earum essentiá. Cautionē addit vt extrahatur ita quinta essentia ab herbis vt substantia remaneat, & herba

maneat herba: quæ ſubſtantia relegatur ad artes particulares. Sed ad opus hoc (de quo agitur) hoc libro iiij. quamuis quatuor elementa in qualibet herba, id eſt, quolibet ſubiecto mẽſtrui, ſint duplata, id eſt, hydrargyron inſit cum terra: Quinta tamen eſſentia non eſt duplata, ſed altera pars ſolum, id eſt, recipimus tantùm hydrargiron ſubiecti menſtrualis (q^d^ Raym. ita appellat) nec reddimus illud hydr. ſuæ terræ vel ſubſtantię, quæ eſt neceſſaria minori. At ſulphur (quum igneæ ſit naturæ) latet

Plinius. in centro terrę: vt Plinius de ſulphure. Metho

Praxis. dus quintæ eſſentiæ ex herbis. Digere Meliſſam philoſophico menſe (id eſt, quadraginta

Athanor. diebus in Athanor (ſpecies eſt fornacis deſcripta in lib. de Rupeſciſſa) putrefacto eſt, deinde ita ſepara vt duplata elementa ſeorſum appareant (hæc eſt diuiſio elementorum) Continuo eluceſcet quintum eſſe, quod Elixir eſt vitæ, id eſt, in ablutione elementorũ fiet quinta eſſentia in fine diſtillationis, quùm ſcilicet hydrargiron herbale erit per crebras diſtilla-

" tiones omnino defæcatum. Similiter vino ge

" neroſo, &c. hæc ſunt exempla herbarum infuſarum in vino vel aqua vitæ, quæ colorem ſuũ & ſaporem in eo effundunt, vt infrà dicit Paracelſus de Antimonio ex lib. Chirur. Ita I. aqua philoſophorum extrahit varias virtutes à variis metallis & eorum colores.

Vinũ ſalutis Porrò extracto ſpiritu iſto & ab altero ſepara

" to, ecce vinum ſalutis, id eſt, extracto hydrar-

" giro & ab altero, id eſt ſulphure ſeparato, quod huic

huic operi vniuersali inutile est: quod sulphur in terra continetur, quam rectè substantiam nuncupat tanquam subiectũ immobile, quùm spiritus sublimati sint tanquam qualitates abstractæ, de quibus Porphyrius initio prædicabilium: quas autor itidem dialogi Chrysorrhoas, qualitates æthereas appellauit.

Quæ hoc loco etiam requiruntur alibi in philosophia de generationibus reperiũtur, id est ad istam quintam essentiam extrahendam à metallis, requiruntur principia generationis, quia hoc hydrargiron elicitur per hydrargiron à quo traxit originem, &c. Hîc indicat librum suum de humana generatione.

Paracelsi libro de humana generatione.

HERBIS.

Aliqui libenter intelligerent herbas de primo liquore (quem Arnaldus quodam libello lapidem herbalem nominat absque germine & semine) Augurellus tamen in vellere & opere vltimo dicit.

Lapis herbalis.

Herbis & haustis fontibus.

Ideo accipio de vegetalibus acuentibus menstruum secundum Raym. vt prima aqua dissoluens sit sub metaphora vini, allusione ad vinũ. Nota itaque lib. j. de Vita longa accommodari posse operi primo per mentionem dissolutionis: lib. ij. secũdo scilicet rrductionis & coagulationis, tertium hunc operi fixionis & fermentationis, quartum autem librum quarto operi videlicet multiplicationis quæ est tan-

quam vitæ productio, custodia & conseruatio: de qua intelliguntur versus elegantes in sepulchro Olibii philosophi ab Hermolao Barbaro reperti.

Aßit fœcundo custos tibi copia cornu
Ne pretium tanti depereat laticis.

Nota tandem Artephium in aqua, vino, oleo, (de quibus suprà amplissimè) cõsentire cum his extractionibus essentiarum.

Contra distillationes aquarum.

Aquarum autem distillationes ex herbis & reliquis rebus huiusmodi quibus officinæ gloriantur, nullarum propè esse virium, quum nihil aliud sit, nisi phlegma rei, cuius liquor præcipuus constat in oleo vel sale.

De Antimonio, Cap. VI.

HOc cap. in parte parabolicum vt præcedentia statuo, id est non de corpore humano tantùm, sed de chao etiam, quod existimo physicum corpus nuncupasse, vt sit sensus duplex, scilicet de vulgari Stibio, & de philosophico, inter metalla quæ aquea sunt hoc intellige ex lib. de duplici Anotomia eiusdem Paracelsi: Gemmæ (inquit membrũ sunt elementi aquæ, metalla aliud membrum: sic elementorum corpus considerandum, & singula quoq; eius membra. In hoc tamen caput præfabor, Dauum me esse, nõ Oedippum, sed coniecturã meam proponere, qua, qui meliorem proferet, rem gratissimam mihi fecerit: eam tamen apprimè cum ratione metallica & cum aliis Paracelsi scriptis conuenire.

Parac. lib. de dupl. Anat.

Mundat

Mundat seipsum vnà cum reliquis quæ immunda sunt,

Id est, ab ipso vt mundetur exttahitur liquor. & hoc diluuio exacto vis eius natiua permansit vel genuina, quæ dicuntur fæces à Raym. in magia naturali, vel vinacea, in quibus non inest calor peraccidens, sed naturalis seu natiua vis, vt hic.

Itaq; sese ex influentia semper dirigit, quando suus fluxus vel liquor ille redditur,

Id est supra suum cohop tetrum denuò reducitur, vt attrahat vim illam reliquam genuinã à terra, fœcibus tamen restantibus quibus Archeus nihil tandem tribuit, vt impuris à quibus purum seiunctum fuit. Hoc se ergò fluxu dirigit semper, id est, in diuersas partes regit, cõponẽdo sal eius per virtutis terræ vel igneæ ab eo extractionem aquæ suæ inuentu, quæ per interualla infunditur terræ residuæ.

Præterea si nihil sani omnino adest, immundum corpus in mundum transformat.

Hoc de imperfectis corporibus quibus nihil inest sani actu vel reipsa, sed potestate tamen sana sunt, & sana tandẽ actu redduntur. Summa est præparationis.

R. Stibium minerale retorque, ac retortum liquorem distilla, vel reduc in tortum cohop,

Id est, supra suas fæces nigras in tertium cohop in distillatione per alembicum, vbi vas est triplex: & in tertio recipitur. Sic lib. Chirurgię germanico ab Ertz Mercurii, id est, terra mi- *Ertz Mercurÿ.*

nerali extrahit primò per retortam igne vehementi liquorem album, postea illum distillat igne lento in balneo maris per alembicum. Quod autem dicit absq; omni capite mortuo, significat absque alembico: prima cuius pars dicitur cucurbita, pars secunda & superior dicitur caput ob similitudinem capitis humani cum naso stillicidii. Est autem mortuum nõ viuum, sic ludit ænygmate suo more.

Tum demùm erumpit Dosis eius Grana iiij.

Id est, vt in lib. de Chirurg. tantum quatuor vnciæ ex libra. Sed hic potius de dosi administrationis debet intelligi. In Quinta essentia melissæ possumus suspicari id intelligi quod Raym. in lib. III. dixit, mel nouũ, & Panthæus in Voarchadumia, insipidum, vt accipiat Raymun. Tartarum ibi: pro Stibio, sicut in magia nigrum nigrius nigro. Sunt tamen magnæ virtutes in herba melissæ liquoris, vel pulueris Stibii in illa pro sumptione.

Panthæus. Raymundus.

Huic præterea nihil tribuit Archeus terræ.

Educta hac vi de terra, nihil præterea terræ illi tributum ab Archeo. Archeus (ex annotationibus in lib. secundum de Grad. est dispositor naturę: huius est officium sequestrare, purgare, secernere purum ab impuro lib. de Tart. cap. v. Archeus rebus naturalibus inest capit. xvi. Nota vbi vis gemina legitur, legendum esse genuina, quod verbum significat vim natiuam: quoquidem vsus est ipse lib. iiij. de Gra. cap. iij. Nam ibi cùm medicina tùm philosophica experientia concurrunt, atqueadeò pro-

Parac. lib. de Grad. Archeus.

Parac. lib. de Tartaro.

pria

pria & genuina vniuſcuiuſq; rei diatheſis deprehenditur. Finio tandem vbi admonuero Matthiolum rectè confiteri inuentum Antimonij Paracelſo deberi, falſum verò illum ad vomitiones & ſeceſſum traxiſſe. Nota ab Arabibus Auicenna & Serapione dici Aymat, vel Atimat, à Latinis Stibium (verbo græco forma latina cuſo) ab Hiſpanis Alcohol pro alcofol, per ſymbolum h. cum f.



Leonis Suauij, Scholiorum in lib. III. Theophraſti Paracelſi, de Vita longa.

FINIS.



LEONIS SVAVII I.G.P. IN THEOPH. PARACELSI Lib.IIII.de Vita longa Scholia.



Vartus hic liber Paracelsi atq; vltimus de Vita longa (ne quis fortè suppositium quintum falsò adijciat, vt quartum quendam Cornelij Agrippæ de Occ.phil. qui est furtim arreptus ex nouissimo Razielis) est totius operis huiusce longè difficillimus ac obscurissimus. Persequemur tamen paucis, quoniam vt ipse illius testatur iecisse lib. primo fundamenta, sic nos quoq; nostræ explicationis. Nam ab ijs quæ ad præcedentium librorum interpretationem protulimus, aditus adhunc aperitur lectori subtiliter euoluenti tanquam Sibyllinas verborum ambages, vel potius experiunti rerum æthereas abstractiones. Plura autem de mysterijs effari vetat etiam Reuchlinus libris de Cabala & verbo mirifico, quod quidem verbum ipse post longam disputationem insusurrat in aurem. Nos verò si experti fuerimus hoc commentationis genus ad philosophorum ætatis nostræ gustum fecisse, propediem ampliora Paracelsi volumina edemus. Interim dictum volumus, scopum in hoc esse Paracelsi, vt humor natiuus seu radicalis hominis instauretur ac conseruetur quasi incorruptus, vsque ad extremam eius consumptionem, id est, ad vltimum

Scopus libri in humore radicali instaurando ac conseruando.

timum

timum vitæ ſpiritum, abſque vlla ægritudine, dolore, moleſtia. Verba enim producendæ vitæ, vanorum ſunt hominum atque ſtolidorum, quum ſint à diuino numine termini conſtituti, qui nequeant præteriri: niſi intelligas eò vſque duci quo patitur humidum cum calido innatum. Quæquidem per medicinam humano ingenio excogitatam & paratam poſſunt labefactata reſtitui, refici, recreari, at de tanto (medicorum ſermone) non de tali: alioquin regreſſum in ætatibus (vt apud Platonem) conſtitueremus, & ad immortalitatem viam ſterneremus. Mors enim naturalis retardari nullo modo poteſt, aduentitia quidem poteſt, quippe quæ dependet à proportione caloris vitalis ad humorem paſsiuum, & potentia vel impotentia informandi illum iacturamque reſarciendi abundè ad vitam: cuiuſquidem diuturnitatis terminum vel ſpatium nemo præter Deum plenè poteſt perſpectum habere. *Plato.*

Nicephorus Blemmidas librum phiſycorum edidit: quod indiuiduis vita præfinita non ſit, ſicut Petrus Numagen alium de Nicolao Subſyluano qui ſine cibo vixit, quod vitam in æthere Paracelſi confirmat. Hanc autem Medicinam videtur Theophraſtus noſter ſtatuere: quam Arabes philoſophi Elixir ſua lingua vocauerunt. Quod iamiam aggreſſuro mihi mens tota horrore quodam ſacro concutitur (ô philoſophi) vel tanquam labyrinthum ingreſſuro Minotauri pauor incutitur. *Vita in æthere.* *Elixir.*

Hîc enim duplex negotium nobis facesſit Pa-
racelſus, ſi ſcriptum ſpectemus, vocabulorum
fictitiorum nouitate: ſi ſententiam, rei qua de
agitur fide ob admirationem ſuſpenſa. Quis
enim credet ad milleſimum centeſimum an-
num poſſe perueniri? Adæ, inquit, & Mathuſa
lem exemplum propono. Et ex parte ſubie-
cti, naturalem vigorem, de quo in Moſe lib. 1.
deinde medicinam præſtantem. Tertiò, lo-
cum eum corpori conuenientem: locum, in-
quam, in aere & nubibus: alium etiam in Ethe
re ſeu eſſe quinto, vbi nulla eſt corporalitas, at
que vbi habitant qui dicuntur ſomno ſepulti.
In cap. 1. de loco. De loco ordiemur commentationem hanc
Oedippicam, ex Marſilij Ficini libro, ſub eo-
M. Ficinus lib. de vita. dem de vita titulo: de loco, inquam, ad vitæ
longinquitatem accommodato: poſtquam
P. Aponenſis. præfati fuerimus P. Aponenſis de vita opi-
nionem, Ficinum vel non referre vel reprehen
dere debuiſſe: quiquidem ſuis aſtronomicis
artibus fretus auſus eſt polliceri ſanitatem fo-
re firmiorem vitamque longiorem, quàm
ab initio fuerit inſtituta. Quantum autem
ad longæuam ætatem, ſcitè lunares populi
Plato in Phædone. ex Phædone Platonis inducuntur in altiſsi-
mo terræ faſtigio ſupra nubes habitantes,
qui ob diuturnitatem æui non tam morta-
les homines quàm immortales dæmones ha-
beantur. Pulchrè etiam à Ficino Arabes
Aſtrologi producuntur, qui vltrà lineam
æquinoctialem ad meridiem ſubtiliſsimos
narrant incolas, dæmones quoſdam qui ne
qu

que oriri neque mori videantur: ſicut ſcribit Paracelſus de Hildonio, &c. Zoroaſtes verò de duplici aere, aqua & terra ſignificat quodlibet elementum, quod poteſt diuidi per purũ & impurum, habere habitatores rationales ac irrationales, quod autem purum ſit omnino, tantùm rationis participes: quod conſentit cũ Paracelſi animantibus elementariis in Philoſophia ad Athenienſes. Adam verò & Enoch dicuntur à Cabalicis doctoribus in ſuprema regione aeris commorari. Hæc de loco ſatis. ſi addiderimus, Merlinum vatem Anglum celeberrimum, quum amicæ lacus Dominę artem ſuam aperuiſſet, turre aeria incluſum ab illa fuiſſe, in qua multos ſimul annnos tranſegerint: quamquidem turrim deſcripſit Comes Taruiſius libro iij. & Ioann. Medunenſis in naturę querimonia. Reſtat de medicina pręſtanti paucis nota, ab antiquis ſolummodò adumbrata, quæ hîc tota verbis nouis atq; inuſitatis deducitur. Alii illam ad Magiam & cœlum, id eſt, annulos, ſigilla, characteres, imagines, diuina nomina, rerum abſtruſas proprietates: Alii ad philoſophiam metallicam & terram, id eſt, lapides & metalla calcinata, ſoluta, diſtillata, ſublimata, fixa, multiplicata referũt, id eſt, ad lapidem philoſophorum: vtrumque igitur nos, ſed paucis, legi ſcholiorum aſtricti perſtringemus. Vita ergò longa eſt in manu ſummi vel maximi Iliaſtis ſcilicet arripienda ex libero arbitrio, vbi ratio eſt magnalium, nõ ex elementis, id eſt, ſi influentiam Enochdia-

Ad Paracelſum de Hildonio.

Ad Paracelſum in philoſophia ad Athenienſes.

Merlinus.

Bernardus.

De medicina philoſophica & magica.

Vitæ longæ deſcripſio.

Iliaſtes.

norum habeamus in anima noſtra tanquam ignem in ligno, id eſt vitam longam in corpore noſtro cæleſti vt dixit lib.1, non ſine vulgari virtute, id eſt, robore & firmitate naturali athletica vel gladiatoria ſecundum Hippocratem, facile ad longæuam ætatem, minimùm 600. annorum perueniemus. De Iliaſte diximus lib. iii. Hic addit Iliaſtem ſaturũ eſſe, nullo amplius indigere, quo repleri poſsit. At cap. ii. dicit ſummum Iliaſtem ſub Chao delitecere. Terminum vitæ longæ mille, nongentorum; aut ſexcentum annorum irridet Plinius lib.7. Anacreonti poetæ de iis qui cc. annos expleuerint. Damiates aſtipulatur memorans, Pictoreum præcipuũ copore viribúſque etiam ccc. vixiſſe (vbi nota de viribus ad naturalem vigorem ſuprà) Alexander & Cornelius Dandonem quendá in Illyrico dicunt vixiſſe. Xenophon Impetrim regem Dccc. atq; , vt parce mẽtitus eſt, filium eius Dc. quę inſcitià, inquit, temporum acciderunt. De quibus Plinius eo capite: at ſequenti de Aſtrologica naſcẽdi varietate inclitiſsimè diſſerit. Propter inauditatem rerum verborùmque nouitatẽ Paracelſus hîc occaſionem calumniæ veretur, vt in libellis ſuis Paramyricis: quos ego ſermõe Germanico conſcriptos vidi, vbi legitur opus paramirum ſed y græco ſcribi debet. Significabit autem Paramyricum opus, deſcriptionẽ rerum quæ ſingulares raræque ſint, ſcilicet præter vngẽta vulgaria: niſi mauis perimyricum, id eſt, de vngentis, ex quo vocabulo myropolium

Hippocrates in Aph.

In cap.2.

Terminus vitæ longæ.

Paramyrici libelli.

myropolium deductum eſt. Hoc cap.ij. reijcit in materia longæ vitæ, elemẽta, Chaos, res naturales, geſta holiſimidam, conſequenter (vt videtur) etiam Iliaſtem, quũ ſub chao exiſtat. Noua etiam ſunt vocabula, Gnatinorum, Saldinorum, Salmandrinorum, Meloſinæ: Saldinos à ſale duci coniectura eſt, Salmandrinos ad elementum ignis, vt Meloſinas ad aeris pertinere. In primo adhuc hęreo. Recordatur autem Aniadum, vocabulum eſt inauditũ de quo ipſe lib. de Gradibus. Scire debes calido & ſicco nullum prorſus ineſſe vel arcanũ vel Aniadũ. Vbi annotatio eſt autoris incerti Aniadum, rerum eſſe efficacitatẽ. Ab ἀναδύειν quidam deducit, quod eſt exurgere vel emergere, vt de materia ſemel intermortua ſepultàq;, ſed quæ poſteà glorioſior reſurgit. Hoc cap.iij. de Solis natura & Aniadi. Notandum eſt Solem dici Iliaſtẽ: quod alludit ad ea quæ ſuprà de auri natura conſcripſimus, cui nihil abundat: ideò ſemel dixit rem perfectam ſe ſaturaſſe, nullo iam opus habere, itaque hæc pertinere ad philoſophiam chymicam, apparet ex his verbis.

De materia longæ vitæ.

In cap.iij. de Aniado.

Paracelſus lib de gra.

Ea quiſquis intelligit, opcimo iure ſe Spagiri nomine venditet. Iliaſtes qui dicitur de natura Solis, mihi videtur internus ſcilicet incorporeus, cui corporeus externus præbet occaſionem fixionis. „ „ „

Paracelſ.

Hoc autem myſterij ſumma eſt. *Compara Aniadum, idque per ſolum äërea & c.*

Expositio mysterij.

Quæ ſic exponi poteſt: Compara Aniadum, id eſt, perfectum præpara, & ſic tibi acquire tuumq; redde præparatione, ſcilicet per ſolũ aera, id eſt, per menſtruum aereum confractũ. Aniadus autem etiam intelligi poteſt ſub vulgari virtute, de qua ſuprà: id eſt, Sole venali: vnde fortè Augurelli Arethuſa. Dici etiam videtur naturæ lumen, id eſt ſulphur, & alumen ſecundum Gebrum, cui ſecundum Auicenná tale non reperitur ſuper terram, niſi quantum exiſtit in Sole & Luna: Ideò deplorandũ cum Paracelſo mortalibus, à quibus eſt tanta cum difficultate in viſceribus illorum corporũ inueſtigandum. Meloſine autem ſeu aer, eſt ſulphur lunæ, ſicut Adech, ab Adam cum fine Arabico, eſt terra rubra ſeu ſulphur Solis: de quo Panthæus in Voarchadumia copioſiſſimè. Salamandra autem etiam dici poteſt, quia igneæ naturæ: vnde philoſophorum verſus:

Arethuſa.

Sed telon moritur epulum qnum ſit Salamandræ.

Quicquid non eſt aeriæ naturæ hoc loco tollitur: alludit ad Bachonem, lapis verò aeris ponitur in Pyramide loco calido, &c. Tria ſunt ergo, Adech, Edochinus, Aniadus & quartum quod in hæc tria vergit, vt Edochinus ſit Mercurius philoſophicus, quartum autem ſit Mercurius vulgi: quæ quatuor tandem fiunt vnũ. De latitatione vel ratione deliteſcendi, conueniunt latitare ſub imagine viui vſq; ad rei inſpiſſationẽ: ideò dixit, quod deliteſcebat, imò adhuc deliteſcit.

Hinc

Hinc natiuitas magni illius Aequastri, qui præter naturam natus est.

Aequaster mihi est res arte supra naturæ vires confecta, quæ à Rhodiano appellatur Aequatum ex naturis quatuor, id est, vel sulphur naturæ, vel potius lapis absolutus.

Sic habebis longißimam vitam, Id est, cum qua, ut suprà, nihil commune habet terminus vitę. Est enim, vt aiunt Spagyri, infinita per viam multiplicationis, de qua his verbis:

Iam, si idem ab illo quod denuò renouatur fuerit refertum, &c.

Iam vt res tranquilla, prorsus non audiatur à re corporali, & vt solùm Aniadum, Adech denique & Enochdianum resonet. Quidam sic interpretantur: in proiectione, quum puluerẽ facit sibilium serpentinum emitti: tandem verò Aniadum, &c. resonare, id est, transformari in metallum perfectum sonorumq;. De hoc sono Spagyrorum libri mystici meminerunt, vt Augurellus.

Iudicio est etiam sonus hinc obtusus & aure
Deprehendi haud facilis.

Autor fontis periculosi, melodiam quandã effici ait, quæ quandoque cesset tanquam arte magica. Et alibi: Tintinnabuli inauditi sonus mirus aurem mihi ferit, Paracelsus ipse cap. v. tympanaque nobis anodinica reddunt. Anodinica videntur esse doloris expertia. Cap. hoc iiij. videtur esse de multiplicatione, quę fit accessione liquoris seu laticis, quod Cornu-

copiæ poetis dicitur, hic essentia ipsa, quæ sola hoc loci plurimum valet:
Qui calcat & qui calcatur.
Materia ergò consummata, simili quoq; materiâ multiplicatur, in qua signa tempore perstringuntur, tandem res simul manent perstãtq;. Idcirco Augurellus in Glauræ parabola,
——Sedet aurea Nympha.
Aureus & circum thalamus supraq; renidet:
Quin auri tabulæ pedibus calcantur euntum,
Atq; ipsa ex auro splendet conflata suppellex.
Vita igitur sana est sic coniuncta vitæ longæ, id est, liquor purgatus, operi renouando seruatus: qui fons sanus dicitur à I. Valentiano. *Quod ad locum &c.* Locus generat locatum, & spiritus dicitur locus & sedes animæ.

I. Valentianus.

Quorsum attinet frustrà his immmorari &c.
Id est quod cap. ij. dixit, ne porrò in hac laboremus frustrà, scilicet in imperfectis quibus non inest lumen, id est, sulphur naturæ digestum.

" *Præterea ille qui animi libidine nobiscum agit,*
" *indicat ac rursus hiantes nos deserit.*
" Intelligi hæc videntur de Mercurij vulgi adictionibus, qui nunc accedit nunc recedit, deserens hiãtes, id est, materias siccitate hiulcas.
Maius opus moueo (philosophi.
Hoc cap. v. quò Paracel. relegat lectorem, ne superioribus parabolis offendatur de Nymphydidica natura alijsq;. Cuiusquidem sententiã paucis cõplectar: deinde vocabula illi-

In cap. v.

noua

noua & exotica coniecturà meâ perstringam. Necrolij siue Necrolici cap. iiij. excluduntur cancellis longæ vitæ, id est, operis magni qui tertij ordinis à Gebro nuncupatur. Nam materiæ elementares rudes & nigræ, à Raymundo, Nigrum nigrius nigro, solutionem mortis ferunt. Scaiolæ videntur elemēta quatuor depurata. In Necrolijs, id est, primo ordine insunt ypermenica figmēta, seu præparationes sophisticæ, quæ iudicium cineritij nō sustinēt;

Summa mystica operis philosophici.

Necrolij.

Scaiolæ.

Aperiunt tamen fenestram in Cyphanto,

Id est, ad formationē nostri Embryonis seu infantis (vt Arnaldus & Lullius loquūtur) quod sic Geber exponit. Sine præparationib. primi ordinis nō perficitur magisteriū. Qui in his figunt pedē, nec ad alios ordines progrediūtur, appellātur à Paracelso Allæani, id est, immutatores formarū superficiales, vt dealbatores veneris, & tinctores lunæ sophistici. De alijs philosophis dicit,

Nihilominus tamen vtraque manebunt.

In Scaiolis si sinistri aliquid suspicemur ex vi vocis, malè cōueniret cum Bachone in hoc ipso argumēto: Iteretur distillatio vt dextrum boni te recipiat sufficienter: nisi dextrū intelligamus de materia perfectiore, & sinistrum de imperfectis corporibus: sicut ab alijs ęnigmaticè dicitur, pars Oriētalis & pars Occidētalis.

Hydros Scaiolis inuidet, qui liquorem cœlat ab eis educendum: cuius qui extractionem tenet, Hydromanticus est, & qui per ignem mollificat, Pyrotongus.

Sophiſtas irridet qui pauca præditi experientia faciunt,

Vt Necroliæ indormiſcunt pulſatiles.

Id eſt, non figunt prorſus tincturam, quæ viuit adhuc quodammodo & euolat ab igne: indormiſcunt, dixit ſæpius & ſemen papaueris quod ſomnum conciliat: quæ de coagulatione Mercurii intelligo nunc leui, nunc firma, quam fixionem Spagyri appellant. Soporifera ſimiliter eſt Mãdragora, cuius magna fit inter mulieres in vetere Teſtamento ęſtimatio: vt iure fuerit cum reliqua philtri confectione è libro M. Noſtradami de vnguentis extirpata. Vt paulò poſt, vt figantur figmẽta, recuſat.

Mandragora

M. Noſtradamus.

Scaiolarum locum non infringet Aequaſter.

Fortè Anatica perfecti materia gaudet hac ſede ſpiritali ſçaiolarum ſeu Mercurii philoſophici. Quibus ſi rudi præparatione inſeratur Sol vel Luna, eſſet aliquid excipiendum, id eſt neceſſaria eſſet præparatio materiæ recipientis proiectionem, nempe in medicina ſecundi ordinis tantùm.

Sed maximus Adech anteuertit.

Id eſt, in tertii ordinis medicina Mercurius philoſophicè præparatus & circulatus, ad amuſsim omnibus ſuis numeris deducit propoſitam (ſecundum Gebrum) ducit in operis progreſſum: non autem modum, quia in illo ordine differentia eſt in modo & ſubtilitate præparationis. Luna tandem relicta aqua ſimplici prima Nymphididica per hydor ſcaiolarum tranſit in aliam permutationẽ permanſura,

ſura, ſi difficilis & velut inſolubilis Sol annuerit: quiquidem eſt mors per fixionem, & vita per illuminationem ſcaiolarum. Annuit autē prima tempora in cōiunctione cum luna dealbatur, ſed ad finem ſeipſum immutat, quia rubificatur rex in fine operis. Quæ iam diſſerit in exitu libri de figmentis, deinde de Nymphididica, ὑστέρον πρότερον eſt, ordine traditionis præpoſtero ad tenebras offundendas: quod factitant magiſtri huius ſcientiæ (Augurello teſte.)

——Addicti perplexæ legibus artis.

Verùm ad Nymphididicam. Ea vt in animis noſtris concipiatur, &c.

Id eſt, vt hæc aqua in ſe attrahat animas perfectas.

Abſoluam tandem hanc obſcuriſſimam commentationem de tribus materijs in vnam copulandis per myſteria priſcorum ſapientum: Fruſtra Palemonem & Leucotheam adibit qui Nereum non attraxerit: nec Nereum attrahet, qui circà primariam animalem trinitatem operatus non fuerit. Nihil autem firmi habebit in opere qui Veſtam non attraxerit. Deinde ex Platone qui à Diotina accepit: Amorem natum ex congreſſu Peniæ & Pori, id eſt egeſtatis & affluentiæ in hortis Iouis, in natalibus Veneris: dijs diſcumbentibus: quemquidem Porum ipſa exponit, magni conſilij filium.

Hæc de ſententia ambagica: iam ſcripti expoſitionem accipite.

Sit hæc vocabulorum coniectura ad Græcam linguam reductorum.

Necrolij. παρὰ τὸ νικρὸς, *mortuus &* ὄλλομι *perdo vel* ὅλος *totus.*

Scaiolæ. παρὰ τὸ σκαιὸς *sinister vel improbus vel obscurus &* ὄλλομι *vel* ὅλλος *vt s.*

Aniadus. παρὰ τὴν ἀνίαν *dolorem &* δίδωμι *do.*

Adech. παρὰ τὸ ἀστερητικὸν *&* δέχομαι *recipio vel* ἀδην *multum &* ἔχω *habeo.*

Ilech. παρὰ τὴν ἴλην *turmam &* ἔχω.

Ceduini. παρὰ τὸ κῆδος *cura &* ὑρον *vrinam vel ventum.*

Gnathius. παρὰ τὸ γνάθος *maxilla, dentes enim draconis seminati ab Iasone in maxilla erant & terra, osseum est elementum. vnde Baccho. Recipe de oßibus Adæ.*

Spagyri. παρὰ τὸ σπάω *traho &* ἄγυρις *concio.*

Prothoneus παρὰ τὸ πυρ. ὠθῶ *impello &* ὄγκος *tumor.*

Melosynæ. μελοσυνη *dulcedo cantus.*

VEL POTIVS.

1 *Iliastes vide num Hiliastes* ἀπὸ τοῦ ἡλίου *à sole q.d. solaris vel Iliastes* ἀπὸ τῆς ἰλυς. *à luto prius magis probatur ex Paracelsi verbis capite iij. solis natura Iliastis est.*

2 Ania

2 *Aniadin & Aniadum vide num ἀπὸ τῆς ἀνίας ab ægritudine & ἅδης infernus, quòd videatur quodammodo inferis dolorem afferre mortua suscitando, vel à morte liberando.*

3 *Melosyne si ἀπὸ τῶν μήλων, hoc est ouibus deducatur, nihil aliud est quàm velleris aurei inueniendi ratio, vt ea forma dicatur qua Eleemosynæ, id est miserescendi ratio, & opus Mnemosine renunsiendi ratio.*

4 *Alliani fortè legendum Allæani. q. d. formarum vel substantiarum immutatores ab ἀλλοιόω immuto.*

7 *Cyphanto à κυέω in vtero gero & φαίνω ad embryonem referas.*

8 *Necrolium videtur Amado contrarium, quia dicitur quasi necans vniuersa, à νεκρὸς mortuus & ὅλος totus.*

9 *Scaioli q. d. sinistri toti à σκαιός lauus & ὅλος totus.*

Hypermenica q. d. superlunaria. nam μήνη luna, à μήν μηνός mensis.

Pyrotonus videtur corruptum pro pyrotongus q. d. Igni fusor, qui metalla igne mollit, vnde Augurellus.

——Quo se mollire metalla.
Inuenere modo.

Nunc qui ad magiam cœlestem non terrestrẽ hæc referendá existimant, audiant magiæ illius veram ac naturalem rationem ex Maximo philosopho, mago, medico, Arabum sectatore.

Causæ (inquit) primitiuæ alienationis in genere quicquid in vj. rebus spiritum animalem alterat & extrahit ab eo temperamento quod ei conuenit in qualitatibus visibilibus atque substantia, ad perficiendum cognitionem mentis secundum exigentiam humanæ naturæ. spiritus enim & maximè animalis est illud solũ, quod facit appropinquare corpus humanum ad cœli æqualitatem: quando est in substantia subtili & purus & qualitate visibili luminosus & intangilis. s. qualitatibus primis habens temperamentum proportionale speciei humanæ, ita scilicet, vt ad caliditatem moderamine proportionali declinet, ac moderatá iuxta temperamentum iustitiæ partici pet siccitatem. Nihil est enim in corpore passibilius spiritu, quum sit vapor, & ideo facillimè immutatur: maximè si concurrant fortitudo immutátis, & dispositio mutabilis introducta per causas antecedentes.

Spiritus.

Vnde secundum quamcunque virtutem spiritus informetur, secundum illam est promptus vel dispositus agere, sic quòd interdum tam fortiter informatur ab aliquo immutáte (cuius impressio repugnat actibus honestatis vel

ratio

nis) quòd anima nullo modo poteſt vincere vel domare, vt in operibus mentis repręſentet honeſta, vel ad cognitionem ſpiritualium ſeruiat. Vnde cum mens otia non toleret, ac rebellem habet ſpiritum, aliter ſenſuum exercet operationem ſecundum exigentiam famuli proterui, ſcilicet ſpiritus, & ad illa quæ ille repręſentare poteſt trahitur tota imaginando, ſenſando & memorando: & in hoc verificatur ſpecialiter illud dictum Platonis, quòd anima ſequitur diſpoſitiones & inclinationes corporis. Veritas autem prædictæ informationis frequenter nobis oſtenditur in illis corporibus, in quibus coarctato in teſticulis ſpermate nondum corrupto, ſed vaporante vſque ad cerebrum, cum fortiter informabitur illo vapore cerebrum atque ſpiritus, & quando mens ab exterioribus obiectis retrahitur, ſiue in ſomno ſiue etiam in tranquillo ſtudio, nihil aliud repręſentat, niſi ea quæ conferunt ad vſum ſpermatizandi, velut ſpecies mulierum, aut cæterorum omnium quæ ad hoc referuntur. Vnde tunc accidit animæ ſicut patrifamiliâs, & cuilibet rectori ſubditorum. Nam domeſticum famulum, quem nequit inducere ad ſeruiendum in palatio, deputat ſeruitio ſtabuli, & ſtatuit eum ſeruire in iumentis, qui reſpuit ſeruire hominibus. Spiritui verò accidit ſicut vitro de quo fit ſpeculum: nam ſi fuerit puræ diaphaneitatis aut ſubſtantiæ perfectæ aut puræ, repręſentat intuenti in eo ſpeciem cuiuſcumq; obiecti voluerit.

De ſpiritu.

Si ueò fuerit infectus colore vel sapore aliquo, etiã sub ipso sapore omnia saporabilia repræsentat. Quodcunq; igitur agens extrinsecum potest per se vel mediante aliquo alio species aut spiritus inficere vel innaturaliter immutare tam fortib. actibus vt rationis sint rebelles, aut imaginationi vel memoriæ: necesse est durante malitia spirituum patientem alienari: potest enim spiritus aliquid immutare dupliciter s. aut quia imprimit eis qualitatem alienam & propriè vocatur infectio, vel quia propriam aufert & non habet proprium nomen: sed communiter alteratio vel immutatio vel corruptio potest dici. Extrinsecorum autem agentium nullum inficit spiritus, nisi mediante humore aut mediante vapore resoluto ab eo, sed differunt: nam mediante humore plus inficiunt mineras eorum, scilicet cerebrum tantum, aut cor & cerebrum: ex quorum infectione consequenter inficitur spiritus. Cum verò mediante vapore inficiunt, possunt tantùm infici spiritus præter hoc, quòd mineræ inficiantur mixtis malis vaporibus cum spiritibus. Iterum etiam alterare vel corrumpere possunt extrinseca spirituum naturam dupliciter. s. primo & secundo, sicut dictum est in infectione. Huius autem differentiæ veritas magis habet locum in impressionibus factis à particulari virtute quàm à communi. Extrinseca enim quæ per qualitates primas immutant prius alterant & corrumpunt spiritus, quia passibiliores quàm membra

membra secundum quæ immutant proprietatibus, quandoq; prius membra quàm spiritus. Nam proprietas interdum directè contrariatur membro & non spiritui, quandoq; verò èconuerso: sicut aliquod complexionatum ratione suæ proprietatis repugnat aut confert vni membro & non alteri. Omni autem mixto vel complexionato directè opponitur in virtute proprietatis aliquod aliud in genere mixtorum vel complexionatorum. Nam quum gradus mixtionis disponat in omnibus mixtis ad susceptionem proprietatis in omni gradu, & omni gradui mixtionis aut complexionis sit alius oppositus in natura, necesse est illum esse in re sicut suum oppositũ, & per consequens est necesse vt sint res proprietatis, ad quam ille gradus disposuit, cum nunquá sit materia sine forma: vnde cum spiritus sit de genere complexionatorũ, aliquid per proprietatem ex directo opponitur membris: illud autem potest esse nõ vnum tantum sed multa, cuius ratio patet ex causis proprietatis. Proprietas enim licet naturaliter adveniat generato ab impressio ne cœlesti, tamen illud quod disponit generatũ ad susceptionẽ ipsius, quandoq; est tota latitudo mixtionis vel complexionis, quæ conuenit speciei: & sic proprietas est virtus specifica, id est, cõsequẽs speciẽ, ideo cõuenit omnibus indiuiduis speciei: quandoq; verò illud quod disponit generatũ ad susceptionẽ ꝓprietatis, est aliquis particularis gradus mixtionis, qui sub speciei la- *De proprietate.*

titudine continetur, ſed accidentaliter ei ſubuenit in hora generationis ex fortitudine cauſarum concurrentium, vt pote forti aſpectu cœleſtium corporum, ſiue hora generationis, ſiue hora caſus principij ſeminalis in agro naturæ: ſeu hora natiuitatis, ſeu hora qua res ſui perfectionem accipit, vt in figuris artificialibus. In omni enim hora influunt partes orbis aliam & aliam virtutem generalibus ſecundum quod requirit figura orbis determinata per horoſcopum, vel aſcendens in hora relata ad generabile, vel generatum, quęcumque ſit: ſed tamen virtutem quam ſuperiora influunt, non ſuſcipiunt niſi corpora diſpoſita vel ſolùm per agentia naturalia, vel adminiculo artis, vt ex hac parte quædam indiuidua cuiuſlibet ſpeciei acquirunt aliquam proprietatem, quæ cæteris eiuſdem ſpeciei non conuenit: vt quod aliqua ſaphyrus eiuſdem coloris & ſubſtantiæ cum alijs multis habeat virtutem corruptiuam oculi. Nam compertum eſt, quod prima obuiatione ad oculum rumpebat, corrumpebat ipſum oculum. Similiter accidit aliquibus plantis in toto vel in parte hora pullulationis aut collectionis, acquirere virtutem, quam cætera indiuidua eius plantę non habent, interdum noxiam rebus interdum etiam iuuatiuam. Similiter animalibus aut partibus animalium, quemadmodum accidit duobus gemellis in Auſtria cum oppoſitis lateribus aperire clauſuras, & ſimili modo de his quę artificialiter figurantur: om-

De figuris artificialibus.

Saphyrus corruptiua oculi.

De gemellis aperientibus ſeras.

ne enim quod ſub orbe per artem vel naturam producitur, aliquam proprietatem ab orbe recipit, patiēdi ab alio, vel agendi in aliud: quāuis illa ſit nobis ignota, & ex hac conſideratione ſolùm verificatur illud, quod communiter fertur de fortunio & infortunio conſtrictionis ædificiorum, aut collectionis plantarum, aut inchoationis itinerum: & ſic de aliis humanis operationibus. Vnde, quicunque ſciret virtutes orbis, & materias cognoſceret cū diſpoſitionibus quæ præparant eas ad ſuſcipiendū illarum virtutum impreſsionem, miras & velut magnas faceret immutationes in rebus inferioribus, nec aliquod agens citra primū poteſt eas aliter facere niſi mediantibus corporibus informatis virtutibus corporum ſuperiorum, vel partium cœli: vnde & magorum pręſtigia, & incantatorum deluſiones, & maleficiorum vexationes, ac etiá feſtinantes impreſſiones, non aliter efficaciam habent, licet dæmones ſubminiſtrent. Ex quibus ſufficit tantùm hoc aduertere, ſ. quod aliquod minerale, aut vegetabile, aut etiam animale, poteſt, vel ratione ſpecificæ diſpoſitionis, aut indiuidualis, acquirere virtutem à ſtellis contrariam humano ſpiritui, quæ contrarietas, poteſt ad plures effectus oppoſitos ſpiritus terminare. Poſſibile eſt enim quod illa virtus ei oppoſita, ſit corruptiua luminoſitatis eius, aut ſubſtantiæ, vel tantum ligatiua operationis illius. Ligari nempe dicitur vnumquodq́; cum prȩter corruptionem ſubſtantiæ, vel ſenſibilem eius al-

Electiones operum.

De Ligaturis

te rationem non poteſt exercere proprium opus: ſicut præſentia adamantis non permittit magnetem attrahere ferrum, & pręſentia ſigilli Leonis lumbis appoſiti non permittit ſenſum percipere læſionem calculi. Similiter præſentia quarundam plantarum, aut etiam particularium animalium, ac etiam quorundam lapidum alligatorum corpori vel ſuſpenſorum, aut veſtibus conſutorum, prohibent organa generationis ſuum officium exercere. Simili modo poteſt ligari operatio cuiuslibet organi, vel inſtrumenti viuentis corporis ita, vt bos aut equus auenam præſentem guſtare nõ poſsit, imo, quod plus eſt, in tantum imperabit ei virtus oppoſita, quòd eſcam in ore contentam proijciet nec poterit continere: ſicut in ſilueſtribus aquilis ſæpe viſum eſt temporibus noſtris, quòd nec vnguibus retinere, nec roſtro poterant lacerare venationem. Simili quoq; modo & in beſtijs, & in hominibus pluries ligatur operatio mentis, & interdum quãtum ad imaginationem tantùm, quandoque verò quantùm ad ęſtimationem, & interdum quantum ad memoriam, quandoq; verò quantùm ad totum: ſicut in animalibus quæ incurtari dicũtur intra certum ſpatium velut in curte cõcludi, taliter quod vbi vellẽt neſcirent exitum inuenire turbata vel ligata imaginatione, vel nõ recordarẽtur ligata memoria: & hominũ mẽtes tam fortiter ligantur interdũ maleficijs aut incãtationibus, vt opera neceſſaria & conſueta

Sigillum Leonis.

consueta nequeāt exercere vel non recordentur. Tunc autem efficacissimæ sunt operationes maleficiorum & similium, quando non solùm rebus quibus instrumentaliter vtitur operarius inest virtus prædicta, sed etiam ipsi operario virtus consimilis coadiuuans inest, impressa ex figura suę natiuitatis: ad quam quum referatur periodus tota suæ durationis, quantum aliquod perfectum & defectum, est possibile quod virtus impressa illi apud horam natiuitatis postmodum confortetur, aut debilitetur superiori aspectu, secũdum quòd aspectus ille refertur ad partes figuræ natiuitatis. Et exinde contingit quod aliquorum magorum, aut maleficorum, aut fascinantium impressiones vel opera sunt efficaciora valdè, aliquorum autem nequaquam: & illis etiam exinde contingit quod quandoq; nullius erunt efficaciæ, aut si sic, valdè paruæ: quandoq; verò habebunt mirabilem eficaciam. Cuius igitur virtus ex orbe acquisita contrariatur mollibus & puris corporibus, qualia sunt puer & cæra noua, si talibus appropinquent ex debita distantia, corrumpent ea spiritibus & vaporibus emissis, aere infecto vel informato, præcipuè si hora illa confortetur virtus aspectu orbis. Hęc Arabum sectator sapientissimus, de cuius patria (quam nominare nequeo) non minor est hodiè quàm de Homerica olim disceptatio. At quia de Magnete meminit, lapide multis in rebus admirabili: hîc addã, varias esse Magnetis species ętate nostra incognitas, vnã, quę repel

Magnetis species ignotæ.

lit ferrum fugatq; vt vulgaris attrahit: aliam co
Plinius. lore prope sanguineo (quę Magnes carneus di
citur, à Græcis Catochites secũdum Pliniũ)
aspersam tamen vænis quibusdam candidis:
Aliam albam, distinctam tamen vænis ferrugi
neis, eamq; pariter apprehensiuam carnis. fru
stũ enim vidi ego pollicis crassitudine labris
adhærens adeò, vt cõcussu totius ceruicis ex-
cuti non posset. Vterq; hîc magnes est qui phil
Phylthrum. tris adhibebatur antiquitùs: de quibus leges
etiam ciuiles in veneficiis meminerunt: quo-
rum vsus & confectio, iure ex hominum me-
moria atq; notitia deleta sunt, necnon ex libro
Nostradami liber de fucis & vnguentis. recenti Nostradami de Fucis & vnguentis mu
liebribus. Sed vsus non est prætereundus ad
facilitandum partum, si hic Magnes carneus
non autem ferreus, coxendici alligetur: & con
tra, si decidat fœtus ante diem, ad suum in lo-
Magnetis carnei vsus ad partum. cum reuocandum, Catochites axillæ allige-
tur: quod experientia nostra comprobatum
est. Addit spetiẽ H. Cardanus (si fides ei adhi
benda est) buxei coloris, cui si acutus affrica-
ta fuerit, carnem humanam absque vllo dolo-
ris sensu penetrat, & absque effusione veri san
Magnes penetratiuus. guinis. Hi sunt lapides inter reliquos, qui in-
Sigillum Leonem. strumenta magorũ ab hoc autore nuncupan-
tur. Sigillum autem Leonis fabricatum vidi-
mus priscorum medicorum autoritate & con
silio, mense scilicet Iulii, Sole in Leonẽ ingre-
diente, &c. cum mira facultate & momẽtanea
curandi morbos eius partes corporis, cui si-
gnum hoc cœleste dominatur. In calculo au-
tem

tem adimere sensum dolori sola suspensione scribit hîc Arabicus philosophus (quod nondum expertus sum occasione non oblata) sed Hermes Trismegistus veram calculi curationem in libro Picatricis, olibano ita sigillato tradidit. Arnaldus autem Villanouanus in aphorismis, scripsit dolores pedum sigillo cœlesti sedari perpetuò, non expressa sigilli specie quæ de eo signo intelligenda est, quod pedibus dominatur: charactere (vt arbitror) ab eo inserto, sed à typographo qui non haberet in promptu, prætermisso.

Ex his colligere licet lectori, quanta vis magiæ, scilicet naturalis atq; honestæ consistat in spiritu, in quo Theophrastus noster iure hoc libro totus est. De alia enim magia, nec ipse quidem, nec Ficinus & Arnaldus sensisse mihi vidétur: nec ego aliam viro bono dignam existimo: à qua tres magi euangelici nuncupentur, quæque sit ab omni nefaria superstitione & cacodæmonum imploratione prorsus aliena. *De spiritu.* *De magia honesta.*

Si qui autem prauitatis suspecti à nobis scriptores quandoque nominentur, ab iis bona captari velim, mala repudiari, vt Virgilius aurum legisse è stercore perhibetur: nec lectoré in animo est ad artes vanas, curiosas atq; inutiles allicere: sed ad sapientiam antiquam (hodie incognitam, ex parabolis ænigmatibus, mysteriis eruendam excitare.

De auro. Accessio ad Iliastis explicationem.

AD Iliastem in quo Solis naturam Paracelsus esse dixit, id est auri, fiat hæc accessio ex iis quæ de auro scripsit nuper Lemnius Leuinus (in secunda parte nuper edita libri de occultis naturæ miraculis: quem rectius fortè de naturæ miris operibus inscripsisset, quòd miracula propriè ad Deum pertineant ex Alberto lib. de Mirabili scientia Dei) de auro (inquam) primùm scripsit in genere, quæ de ære etiam atq; argento circa popularem auaritiam dici possunt.

Albertus.

Quæ de auri viribus medicis disserit, iam accipite, postquam iterum admonuero contra rationem esse philosophicam, aurum aliquid conferre, quando retinet in se omnia, id est, quádo nullomodo deteritur vel consumitur: aliud quidem dici posset de rebus odoriferis aliisve à quibus exhalat spiritus tenuis, cuius detrimento pauxillum detrahitur de materiæ pondere, quod sensu percipi vix potest. Quomodo ergò liquamen auri audet nuncupare, quũ illius bracteæ elixátur in eduliis? At quo niam aurum, quod purum syncerumq; est, admotum nocere non potest extrinsecus, illi sæpenumero curatio morbi ascribitur (vt medicis fœlicibus magis quàm peritis) quàm natura ipsa molita est. Cæterùm his omissis, de metalli huius natura disserendum, quod multis magnisq; viribus imbutum est. Siquidem aurum cumprimis efficax præsentissimam vim obtinet

L. Leuinus.

obtinet in expugnandis ſæuiſsimis morbis atque inſtauranda valetudine, vbi illa collapſa eſt, ac detrimentum acceperit. Nam qui ex venereo fœdoq; contactu labem conceperunt, ac contagione inguinum infecti ſunt, eius vſu manifeſto ſubleuantur. Elephantiaſim quoq; quæ vulgaris lepra cenſetur, expurgat, aut ſaltem mitigat, dentes labátes, ac minus ſtabiles, putriq; vligine vitiatos firmat, omniaq; oris vlcera ac puſtulas compeſcit: Ita quibus os olidum eſt, ac graueolentiam exhalat conſulere ſolitus ſum, vt annulos ex puro ac ſyncero auro confectos, ſubinde in ore geſtent: pręſertim qui ex morbo gallico inuncti labiorum ac gingiuarum vlceribus infeſtantur: virus enim eluit atq; eruptiones exiccat. Quod ſi laminas, aurique ſegmenta, ac bracteas carnibus elixis admiſcere libeat, atq; huius liquamen valetudinarÿs exhibere, dici vix queat, quãtopere vires ac vitales ſpiritus erigat. Quocirca macie tabeq; confectos, aut immoderata venere exhauſtos ac delaſſatos huiuſmodi decoctis refficio, vireſq; inſtauro: nec vlla ſui parte hac ratione aurum fit deterius, aut attenuatum imminutumq; eximitur. nonnunquam in turbinatum alueum, quem alembicum vocant, calenti foco admotum, coniici iubeo minutatim conciſum capum, aut vitulinas carnes, atq; aliquot oui lutea ſeu vitellos, tribus quatuorve lactis bubuli ſextariis perfuſa, admixtis vnà cum auri puriſsimi (obrizũ vocãt) ſegmentis aut torque aureo, efficaciſsimis herbis nempe

Aurum lepram purgat

Auri in cibo vſus.

Aurum decoctione non atteritur.

Sextarius libram & vncias octo cõplectitur.

radice Iringii, Scolimi, Siſari, Cinaræ, Carli ni, Cardui hortenſis, eàque herba quæ cum muſcoſo concretu fruticetur, à flauo ac rutilā- ti colore, aureisq́; guttis quæ illi inſident, Ros ſolis dicitur: denique palmulis quos dactylos vocant, quiſque paſsis, exemptis vinaceis, ac pomis dulcibus. Ex quarum rerum congerie lento placidoque igni, ſtillicidio quodam liquor extractus, ac triduum ſoli expoſitus, in multos vſus aſſeruari poteſt. Siquidem deliquio deffectūque animi ſopitos erigit ac ſpiritus re uocat: exangues, macilentos, tabidos, extenuatos reficit. In Cardiaco verò affectu, ac ſudore Britannico præſentanea vi pollet, atque in refocillandis cordis viribus cumprimis efficax eſt ac ſalutaris, ſi cochleari menſura, aut plus paulò ita conſtitutis exhibeatur. nec minori commodo atque vtilitate Aurum foris adhibetur, vbi cor ingruente externa aliqua, vel interna ægritudine periclitatur. Nam præter aſpectum aureorum atq; annulorum qui nonnunquam ſpecioſa atq; amabili gemma decorantur, oculosq́; paſcunt ac rěcreant, ſi ſiniſtrę manus digitus qui infimo proximus eſt, in cordis affectibus, auro & croci momento defricetur, hominem ſibi reſtituit, etiam ſi collapſo atque intercluſo animali vitaliq́ue ſpiritu, propemodum exanimatus obmuteſcat, nec vllū vitæ indicium proferat. Aurum quoque candens atq; ignitum, vino immerſum præcipuis membris robur cōciliat, ac facultates natiuas confirmat: nam ſi quid mali internis partibus adhæ-

Ros ſolis.

Cardiaci morbi remediū.

Aurum cor recreat.

Auri effectus, Igniti.

adhæserit, abstergit, consumit, abolet, depascitur, partemque affectam ac morbidam vigore ac vitali spiritu imbuit. Floris quoque huiusmodi liquor adhibitus, impetigines, seu lichenas, leprá, mentagram, porriginem, ozenam, polypon, fœdissima narium vitia, morpheam, omnesque vitiliginis species quæ cutem deformant compescit, ac cohibet, præsertim si huic liquido pigmento aut plasmati nonnihil Tartari commisceas, quæ est ex vino in doliis lapidosa concretio. Omnes siquidem quamlibet fodeas maculas abstergit, narésque rubicundas ac verucosas, mentum, genas, faciem, frontem in quibus partibus impudenter atq; indecorè, parumque ciuiliter huiusmodi eruptiones se proferunt, cohonestat.

Tartarus quid.

Accessio De Saldinis, & de Salis omnium rerum confectione.

AVri quoniam materia adeò expetitur, adeò falsorum chymicorum scriptis vocibusquè celebratur: addidimus Leuini opinionem recentem, quæ mirificè mihi labefactata visa est in scholiis superioribus. At quum Salis materia non solum in omni vsu vitæ sed etiam medicinæ sit frequentissima (cuius salis medici mentionē supra fecimus tam in Compēdio quàm in Scholiis) confectionē autem amicis quibusdam claram apertamque dederamus. Sed quum ab iis ad alios emana-

uertit, iam patefieri reipublicæ ſtudioſorum intereſt. Salis igitur ex omnibus rebus conficiendi modus rudior eſt: Collige rem vel herbam quamlibet, exure in foco ab omni ſorde ſcopis mundato (aliqui prius inſolant, alii in vmbra deſiccant.) Modus vſtionis eſt quouſq; ambuſta herba in quodamvelut pane cohęreat; ſed ſi vltrà progrediaris vrendo vſq; ad incinerationem, maiorē ſalis menſurā conſequêris. Poſteà in fictili plumbato aquā huic pani vel cineri clarā limpidamq; ſuperfunde, & igni, vt aliquot horis efferueſcat, admoue: demum effunde in aliud vas vbi reſideat, fæcibus relictis: tandem tranſige per pannū lineū, & quod tranſactum erit, igni redde lento paucorum carbonum, quo exhalet aqua, ſal in fundo philoſophorum ſubſideat. Alius modus eſt ſubtilior, herbam ante exiccatam in fictili operculo ſuo clauſo pone, exure longo & validò igni, donec in cinerem albiſsimum redigatur. Color enim hic ſignum eſt perfectæ calcinationis. Poſtea in aqua pluuia vel ſtillatitia fac efferueſcat in vaſe vitreo locato in fictili cinerum pleno, cinerum (inquam) cribratorū. Efferueſcat igitur vſque ad conſumptionem quartæ partis aquæ. Deinde ſubſidat aliquo tempore, effundatur in vas aliud vitreum amplum, vel Bellouacenſe, formæ concauæ, in quod immittas linguas filtri noui purique: per quas (ratione vacui non dabilis) aſcendet aqua clara ſalſa, deſcendetque in alia vaſa recipientia. Vbi ceſſauerit filtratio, euapora illam igne

Artificioſi ſalis modus rudior.

Modus ſalis artificioſi ſubtilior.

igne ſuaui in vaſe vitreo, & ſal reſtabit in fundo clarum ſincerumq;.

Tertius eſt modus ſubtiliſsimus: Collige herbam, tere viridem, diſtilla aquam per alembicum, calcina fæces vaſe clauſo igne mediocri, quouſque in cinerem ſiccum vertantur. Sitq́ue ignis cautio ne materia priuetur propria & radicali humiditate, quæ non poſſet amplius niſi vitrificatoriam dare fuſionem. Redde aquam ſuæ terræ, inhuma in fimo vel balneo aliquot dies, effunde vt ſuprà caute ne fæces turbentur, deinde filtra, poſtremò euapora filtrationem. *Modus ſalis artificioſi ſubtiliſsimus.*

Hi ſunt modi varii conficiendi ſalis artificioſi ex omnibus rebus quæ ſub ignem cadunt, qui cœlati ſunt à priſcis recētibusq; philoſophis: quorum vſus eſſe poteſt mirificus in perſonis delicatioribus curandis, quæ ab omni genere medicinarum abhorrent, eo ſale in iure carniū atque in vaſe ſalino ad condiendas epulas immiſſo. Non omittam contrà, aquæ dulcis à marina & ſalſa extrahendæ rationem, longæ nauigationi vtiliſsimam, traditam à Cardinale Cuſano lib. de Staticis experimentis, ſcilicet per globum cæreum aquę marinę immerſum. *Cardinalis Cuſanus.* Modus autem Chymicus commodior eſt per diſtillationem aquæ marinæ in foco nauali: cuius nauigationis nouiſsimum inuentum pixidis nauticę cum acu magnetica miror ab eodem quoq; Leuino nulla ratione nulla autoritate vetuſtati tribui. *Leuini error de pixide nautica.* Nam ridiculum eſt quod à Plauto teſtimonium recenſet de verſoria, & *Plautus in Merc.*

luculenter falſum ab antiquo ſcriptore de re noua.

Huc ſecundus ventus nunc eſt, cape modo verſoriã.

Intelligi enim potius par eſt de velo ad excipiendum ventum ſecundum & proſperũ: aut alio inſtrumento nautico: quorſum enim, bone vir, pixis ad celeritatem nauigationis? Id quoque Philander in Vitruuium perſpicuè teſtatur. *Philander*


Hæc ergo (lector) omnia non vincendi aut contradicendi, ſed eruendæ veritatis ſtudio in communem reipublicę literarię vſum à me conſcripta æqui boniq́ue conſule.

Scholiorum Leonis Suauij I. G. P. in lib. IIII. Ph. Theophraſti Paracelſi De Vita longa.

FINIS.

LODOICO
SANGELASIO
LENSACI DOMINO,

EQVITI TORQVATO, SENAtori Sacri consilij, Augusti cubiculi præfecto, Duci C. virorum Aulicorum. I. G. P. Salutem.






Iraberis fortasse (Eques præstantißime) quum me comitem legationis Romæ videris, rerum regiarum negotiationi non tecum (sinistro meo fato) sed cum successore tuo operam nauantem, quid in causa fuerit, quod ab eo tempore me domi priuatim in otio literarum continuerim. Tu verò animaduertas velim, quam personam sæpe nobis neceßitas aut casus imponat, quamue nostra voluntate ipsi geramus. Nam ego qui natura ad rerum contemplationem propensus eram, parentum



iussu aut consilio ad procerum comitatum impulsus fui. À quo quum animum meum nimis abhorrere sentirem, non tam inconstantiæ opinionem veritus sum, quin genio potius meo mihi inseruiendum existimarem. Id rectè an secus, haud laboro, si meum hoc factum tibi probari senserim. Quod autem ad studiorum meorum genus attinet, postquam variarum artium flosculos decerpsi, raptus sum nescio quo meo fato ad inuestigationem rerum, quasquidem prisci sapientes cognitione complexi esse, sed quibusdam figmentorum inuolucris obtexisse perhibentur. Quorum è numero scripta sunt Theophrasti Paracelsi Germani philosophi & medici insignis: potißimumq; inter ea libri. IIII. de Vita longa, qui nuper in lucem prodierunt. Ne verò per obscuritatem prorsus abijciantur aut negligantur, primùm ex varijs illius monumentis præcepta mira & inaudita ex immensitate

mensitate sermonis in compendium contraxi: cui deinde commentarios breues in hunc libellum adieci. Tua autem in me iamdudum propensa voluntas videbatur aliquod à me munusculum suo quodammodo iure postulare. At siquis perpendat quàm geras publicam personam, quáque ingenij præstantia, qua in regijs muneribus obeundis industria (quibus es maximo potentissimoque Regi gratissimus) qua denique formæ dignitate ac venustate omnium erga te animos conuerteris, tibi profectò optimus quisque artifex vt prudenti æstimatori, opus suum iure potest consecrare. Ipse itaque sub hoc Leonis Suauij nomine, tanquam Teucer sub clypeo septemplici latitans, reprehensionum in re ardua & noua vel potius calumniarum aculeos minimè pertimescam, si tu mihi Aiax Telamonius fueris. Non quod de scripti mei defensione diffidam, sed quoniam tranquillitati studiorum deditus, vereri

forte possem ne propugnationis negotio meum otium interrumpatur: quin potius, ne de me ex his quæ quasi aliud agens edidi, sententia feratur, ac si omnes ingenij atq; industriæ (quod per alias occupationes non licuit) neruos intendissem. Tantùm igitur duo testata hic velim, nec à me vetustam medicinam prorsus damnari, nouæ huius ostentatione, nec, licet perplexa prima facie interpretatio mea videatur, me tenebras pro luce offundere. Arbitrantur qui iudicio parum valent, si quid Paracelsus in Methodicos experientiæ, si quid in Empiricos scientiæ expertes inuehatur, nulli medicorum generi omnino parcere, se solum atque vnicum orbis terrarum medicum profiteri. Damnat enim ille medicorum vulgus tam theoricæ quàm praxis imperitum: fingit, vt Xenophon imperatorē, vt Cicero oratorem perfectum, sic ipse medicumqui sit omni medendi laude cu
mula-

mulatus: qui Platonis atque Aristotelis philosophia ad vniuersæ naturæ cognitionem, qui mathematicis quoque disciplinis imbutus sit, quique postremò ex Ægiptiorum & Arabum præceptis perceperit rerum etiam quæ sub ignem cadunt omnium varios apparatus. Qualem vidimus nuper Ioannem Fernelium (vt illius monumenta testantur:) qualem videmus hodie in regia Ioannem Capellam Archiatrum, eius successorem: qualem Honoratum Castellanum collegam: quales in hac quoque præstantißima ciuitate, tanquam in publico Europæ theatro Nicol. (re) Magnus & cognomine, Ioannesque Gorræus (quos tibi notißimos esse arbitror) in omnium oculis versantur: quiquidem, ne quid sibi ad absolutam medicinæ peritiam deesset, nihil huiusmodi artium à se alienum esse voluerunt. Errat enim vehementer meo iudicio, qui Hippocratem audet criminari, quo nullus in

medicinæ scientia tot tantisq; seculis extitit præstantior: errat qui Galenum interpretem paruifacit, hominem tanta ingenij artisq; subtilitate, tanto rerum vsu præditum. At si in natura necesse est, vt ait Cicero, absolui aliquid atq; perfici, ad ipsorum fortè ætatem laus medicinæ perfecta nondum fuit, ætas (vt inquit Fabius) posterior, priori amplius erudiendæ laborauit. Nec censendum est, nihil quicquam vel addi vel detrahi posse, imò verò ratio medendi, quæ illorum temporibus adoleuit, si hodie à nouißimis doctoribus consummata erit, nominabitur Sapientia. Theophrastum itaq; nostrũ laudare par est atq; admirari, qui eam partem medicinæ tractarit maximè, quæ à superioribus medicis vel neglecta perperã, vel minimè intellecta videbatur: nempe de endelechijs & quintis rerum essentijs, è quibus mira remedia ab Aegypto et Arabia profecta, Græcis Latinisq; no

ua atq; inusitata eliciuntur: quorũ mihi nõnulla vsu et experientia cõperta sunt. Hippocr. ergo, Galenus & Paracel. multa perfecerũt: alij tamẽ nomine mihi nõ noti laude sua fraudãdi nõ sunt, qui multa conãtur: illi potuerũt, alij volunt: quibus non licet rerũ fastigia conscendere, aliquid est in proximis saltem interuallis cõstitisse. Superest aliud, quod contra me facit hoc tẽpore, ne mihi mysteriorũ, quæ hisce libris Theophrasti continentur, vel ignoratio vel reticentia vitio vertatur. Horũ quidem ipse sacris initiatus, si nondũ ad ipsius sacrarij penetralia deductus sum, nõ alij quàm aduersæ fortunæ ascribo, & facultatũ tenuitati, ad quã me intempestiuo forsan diuitiarũ cõtẽptu hæc ipsa studia redegrũt: interea aspiro quotidie, anhelo, & quãdiu amplius nõ datur, ipsa me spe tantæ rei & cogitatione consolor, cuiusquidem haud dubito quin excellentes illi viri, quique alij iudicio

pollent aliquod hîc specimen coniectura facile consequantur. Hæc porrò est, Homeri catena aurea, hoc cæli Opisq́ matrimonium, hi Platonis annuli, hæc abstrusa in intimis naturæ adytis Philosophia. Quæquidem sapientissimo atq; eruditissimo Franciæ Cancellario Michaeli Hospitali: quæ doctissimo Regis Archieleemosinario Iacobo Amioto, ac huiusmodi sublimibus animis ex veterum philosophorum vatumq; monumentis animadversa & perspecta esse possunt. Cuius adipiscendæ gratia norunt Democritum Opilim, Platonem, Pythagoram, Apollonium in Ægyptum ad Hermetis columnas, ad Brachmanes Gymnosophistasq́ commigrasse. Norũt autem illi ex priscis scriptoribus quanta sit cautio adhibenda in mysteriis enuntiandis, si quid ego eorum sum fortè subodoratus, paucis, vt Hebræorum vetus Cabala per manus tradebatur, in aurem præsens insusurrabo: cæ-

teros

teros ſat erit admonuiſſe, ne verborum integumentis nudis immorentur, & ſenſum nos eis aliquem ex ſcriptorum ſimilium inſtitutis præbuiſſe: id eſt quum huiuſmodi myſticos libros legent, ſcriptum vt negligant, ſententiam eligant & conſectentur: vt in legitimo ſtatu Rhetorum præceptis traditur, vt in legibus humanis factitandum eſſe legislatores cenſuerunt, diuinæ mentis captandam eſſe rationem: exemplo quodam ſacri illius verbi, Litera occidit, ſpiritus viuificat: & illius, Lac paruulis, ſapientiam inter perfectos, Myſterium (aiunt) ſecreto audi, tecum habeto, Vix amico quidem chariſsimo dixeris. Artes enim aliæ cunctæ vulgo iactantur, arcana hæc inter paucos planè clam narrantur, & licet ſint veriſſima, Reipublicæ tamen intereſt quodammodo tacita teneri.

Lutetiæ Cal. Ianuar.
Ann. M.D.LXVII.

INDEX RERVM ET VERBORVM SINGVLARIVM HVIVS OPERIS.

* * *

Argentum

INDEX

Contra

I

L

Lilig,

S

T

V

FINIS.

CATALOGVS AVTOrum huius operis.

Aesculapius
Agrippa
Albertus Magnus
Alchindus
Alexander ab Alexandro
Almadel
Alphenus Iurisconsul.
Ambrosius
Apollonius
Apuleius
Archelaus
Ariostus
Aristophanes
Aristoteles
Arnal. Villanouanus,
Artephius
Athanasius
Augerius Ferrerius
D. Augustinus
Augurellus
Auicenna

C

Calidius
Cardanus

FINIS.

VENENI, QVOD LEO (NESCIO QVIS) SVAVIVS IN THEOPHRASTICOS EUOMERE CONATUR, PROPRIUM IN PECTUS EIUS, PER GERARDVM DORN APOLOGETICA RETORSIO.



ON preter omen, expectationemq́ meam euenisse fœliciter, & Leonem incautum, post duos, plus minus, annos, ab æditione fœtus mei præterlapsos, ad eius deuorationem aggressum esse gaudeo. Suauius quid mihi contigisse potuit vnquàm, si cum tam feroci duellum agens, victoriam (de qua non dubito) consequar? Sed non satis video, qua metamorphoseos arte, Gallus in Leonem conuersus ad pugnam proruperit, cum tamen hunc ille Solis influxibus antecellat, alterq́ reformidet: arcanum hoc Suauium illum naturæ secretorum indagatorem latuisse videtur: aliâs Galli formam, sub qua Leones etiam superare potuisset, non immutarat: in fortasſis a-

biecto nimirum animo, vulpium cum gallis inimicitiam formidasset, ac illis necnon alijs animantibus metum incutere molitus, degenerem timidumq; Gallum suum, Leonina pelle palliare voluerit. Nec eo se tutum propugnaculo satis existimabat, cum aliud sub triangulo fabrefactum adderet. Quid autem hominis, vel ferocis alterius animalis sub.I. G. P. velamine lateat, ignotum est mihi: quapropter non ægrè ferat quisquis ille sit, si fortè quàm persona sua dignum est Leonis rugitibus acrius respondero. Laticis huius interpretationem ab aliquibus doctis viris habere conatus sum, quos inter nonnulli sic intelligunt, Inuidus Gallus Parisiensis: eiusq; nomini cognominiq;, propter academicam literaturam in eo non exiguam, parcendum esse iudicant, modestius quàm, vt ipse, debacchãdum. Interim tamen vt videatis, ac iudicent alij, quàm insulsè, de rebus minus cognitis, aut non satis intellectis affirmare, tum, quod peius est, impudenter somnijs alios reprehendere mendacij, turpe sit officium, æquum est, vt qui præter æqui-
tatem

tatem alijs malè dixerit, peius etiam audiat. Et vt victoriȩ mihi tropheum existat amplius, hunc ego Leonem proprijs vnguibus eius dilacerare seipsum potius, quàm contra vanos insultus mea me quis arma sumsisse dicat in mei defensionem. Nec satis vt me defendam ab inimicis per meum inimicum videbitur, at quo maior sit victoria, huiusce mei me vindicabit inimici maximus amicus: quem pro Leone commutauit, ei hac de causa factus inimicus Gallus: cuius ego calcaribus & spinas addam, vt Leonem equitans Gallus, agnoscat Suauius, contra stimulum calcitrare difficillimum esse: Stimulus enim est veritas. Missa faciamus hæc, & pugnam aggrediamur ex animo.

Primum in me iaculum sub arroganti satis admonitione lectorum, & falso facta laxare non erubescis, his verbis.

Iā tractandæ sunt (inquis) ex herbis, alpidibus, & metallis præcipuæ Parac. cōfectiones, quas ponam vti sunt aliquorū manibus cōtritæ, vt

lectores tandem auocem ab erroribus Gerardi Dorn.

Falso(tua,lectorum imo pace potius
dixero) Leo somnias tincturas Theo-
phrasti(quas inepto primùm, & phar-
macopolico vocabulo confectiones ap
pellas, cum simplicissimæ sint medici-
næ) manibus meis contritas esse, vel vt
postmodum innuis conspurcatas, muti
latasq;. Quicumq; libros germanicos
Chirurgiæ magnæ germani legunt, ea
potissimum exemplaria quæ vetustissi-
ma sunt, melius quàm tu Gallus, & lin-
guæ germanicæ prorsus ignarus, an
quos mihi conaris errores ascribere, tui
potius quàm mei sint, iudicabunt. Inte-
rim tamen dum reprehendis interpreta
tionem, quam feci fideliter, eadem vti
non recusas, particulam eius de verbo
ad verbum inserens compendio, quod
in Theophrasti doctrinam perperam fa
cis, vt imposterum audies: indicio est,
quòd tuam non adieceris meliorem,
qua palam tibi, vel mihi mendacium ad
hæsisset. Postmodum in ratiocinatione,
confectionum, quas à quibusdam per-
peram descriptas esse dicis, ita prose-
queris

queris ineptire potius quàm ſcribere.

Iam curaueram (ais) compoſitiones tinctu rarum, oleorum, &c. mihi è germanicis Theophraſti ſcriptis in noſtram linguam conuertendas, quando Gerardi Dorn, & alterius libri emerſerunt. Quibus ego maximas quidem gratias haberem, ſi non contenti nudis verbis, ea vel reſtituiſſent in integrũ, vbi manca erant, vel mutila aut vbi adeò erant obſcura, quum Paracelſo in arduis libuit tenebras offundere, aliqua luce illuſtraſſent.

Omittere profecto nõ potuiſti, quin ipſum te proderes, hoc ipſo quod ſuperius per confectiones intellexiſti: repetito iam per compoſitiones vocabulo: quo quidem nobis luce clarius doctrinæ Theophraſticæ maximam imperitiam in te patefacis ab exordio mox, vt nec amplius te pro Theophraſtico, nec etiam artis chymiſticę diſcipulo cognoſcamus: magisquè nobis innoteſces. Quid enim tincturis Theophraſti potuit indignius obijci, quàm illas fore cõpoſitas: quæ quidẽ ſimpliciſsimæ ſunt, ac à ſuis ita ſeparatæ corporibus craſſioribus, vt ſpirituum inſtar omnia corpora facilimè penetrent: inde ſibi no-

men etiam à Theophrasto sortitę sunt. Cur potius extractiones non dixisti? sic apparuisses nobis ex superficie quadam, collega discipulorum Theophrasti. Nunquid hocipsum considerare potuisses ex verbis meis, à quibus in me calumniari sumis initium? Extracta (dixi) tinctura Solis, non composita: Theophrasti verba sic imitans ex Germanico.

So die selbige Farb genommen würt/vnd sein corpus weiß bleibt/ gescheiden von der farb/so seind alle ding zur Bereitung gefertiget.

Notasse debueras has duas dictiones germanicas (**genommen**) id est acceptum, & (**gescheiden**) id est separatum, quarum ego mediam significationem accepi, qua breuiter separationem lectoribus extractione, nec non hanc illa debere fieri significarem: nihil enim accipitur ab altero, vel separatur, nisi per abstractionē, auulsionem, extractionē, vel si mauis ex schola tua, receptionem.

Non est etiam quod iudices, nec alter quispiam, hoc loco me tincturas istas

de verbo ad verbum transtulisse, nam talis traductio, propter linguarum diuersarum variatas etiam proprietates non admittitur, sed potius eas ad compendium reducere conatus sum, vt ex illarum practica lectoribus, eorum vsus, quæ meis libellis præmiseram, ac vtilitas potius innotesceret. Demum (nudis, vt ais verbis) tacitè quid moliaris facilè percepi: non aliud scilicet, quã vt ad iram me prouoces, & ita partem tueri meam cupiens: apertius quæ tuo rudi nimium ingenio clarè satis, in Claue mea, tum in Speculatiua Philosophia vel initiatis doctrinę discipulis sufficiunt, obtuli, nudius aperirem: cum ipsemet in præfatione quam facis in Compendium hoc dicas:

At in mysterijs scimus semper illud vsurpatum fuisse.

Procul este prophani. Idcirco (quidem adijcis) Audite quæ ille ipse (Theophrastus videlicet) in fine libri de Grad. in hanc rem lectorem admonet: Quamuis hæc qualiscunque demonstratio ijs, qui se medicorum nomine passim venditant, obscurior fortassis, atque ob id etiam lectu inutilis existat, nihil

moramur, neque præterea eos alia dignamur responsione, nisi quod ob ipsorum imperitiam excusatos nos volumus. Itaque quicquid posthac scripturi sumus, hoc qualecunque est, solis dicamus Philosophiæ alumnis: interim tamen rogatos etiam volumus iuniores medicinæ candidatos, ne ista scribendi obscuritate cõmoti, vel terreantur, vel desperent: quin potius artes indagare Spagyricas studeant: quibus imbuti huius scripti nostri rationem, atque adeò fundamentum percipient.

Vide quàm probè tibi ipsi respondeas, vt opus non sit aliud nobis, quàm tuos notemus errores. Satis vt opinor illustrasse me puto, libris quos dixi, si tamen intellexisses, ea quæ de tincturis scripsit Theophrastus: manca, vel mutila non repperi, sed superflua quædam, & pauca magis ad illustrationem recidisse videbor, quàm addidisse de meo: quod infra liquebit latius. Addis et hoc.

Itaq; vt ab eo exordiar, quæ (si verè esset tradita) iure omnium foret præstantissima, nempe de Auri tinctura, vel arcano, quod initio huius Compendij paucis præstrinximus.

His enim verbis Theophrastum ipsum

ſum arguis mendacij, quod etiam **auto ritate** Gebri non intellecta poſtmodū oſtendere conaris, hoc inepte nimis in ſanire te potius, quàm ſapere iudicabũt omnes, qui chymiſticis rebus initiati ſunt: vti narrabimus, poſtea quàm id quod à me ſilentio prætermiſſum in aquæ Salis paratione viciosum eſſe iudicas, defendero. Non percipis, ô miſer alchymiſta, quàm inſulſè, quod non ſine bono iudicio factum eſt, nulla ratione carpas, nempe dictionem germanicam (**geſloſſen**) id eſt liquefactum, eſſe magis in obſcuritatem ſententiæ, quàm elucidationem: eo quòd nullum ſal à natura procreatum ſit per liquefactionẽ, ſed per congelationem tantùm: nõ fuit igitur in principio methodi huius neceſſaria, cum ſubſequatur his verbis, (**vnd laß flieſſen etlich mal**) quæ Latinè ſic reddidi, & liquefiat aliquot vicibus: his apertè liquet lectoribus, eam liquefactionem artificio fieri debere, nõ quidem naturaliter.

De vini tandem ſpiritu mordicus Theophraſtum, & ſuos reprehendis, inquiens.

Miror hos qui Theophrasti discipuli agnosci volunt, non animaduertisse corruptissimã esse hanc extractionem, in quo circulatio prima est, quæ in magistris Essentiarum quintarum, Io. de Rupescissa, & Ray. Lullo semper est postrema. Deinde non separari phlegma mortificans spiritum, nec fæces in opere circulandi. Non declarari signum, quando spiritus cessat ascendere. Scribit hanc destillationem fieri in frigido, &c. Tum autem, Quod sequitur esse aquam vitæ, non spiritum, quæ oratio est? Noune ab omnibus spiritus vini, appellatur aqua vitæ? &c.

Breuibus tibi sic respondero. Miror hunc Leonem Suauium se Theophrasticam ostentare non vereri: nihil enim quàm Theophrasti mentem, aut scripturas eius minus degustauit: non potuit animaduertisse Theophrastum hoc loco circulationis mentionem fecisse nullam, sed circulatorij vasis tantum, ad separationem digestione factam vsurpati: Putrefactionem ad faciliorem separationem fiendam, non esse circulationem, si practicus in arte chymica fuisset, intellexisset. Circula-

culari consueuerunt liquores illi tantum, qui iam à suis corporibus impuris separati sunt: alij verò circulatorio, vel alio quouis ad hoc apto vase digeri, sicuti natura fieri consueuit in stomacho separationem faciente. Id ipsum & tu fateris imprudens, cum dicis, Deinde non separari phlegma mortificans spiritum, nec fęces in opere circulandi. si hoc intellexisses, Theophrastum hic non circulari velle vinum, sed spiritum eius digestione fieri separabilem percepisses. Differentiam inter vini spiritum, & aquam vitæ non facere tantum chymistam quid absurdius esse potest, ac interrogare? Nonne ab omnibus spiritus vini appellatur aqua vitæ? Respondeo, non nisi ab his qui sunt artis adhuc ignari: verùm illi qui callent artem, Aquam vitæ, vini subiectum esse, de quo vini spiritus extrahitur, experti sunt, quam extractionem Præceptor nos hic abbreuiare docet, frigideq́ destillare: hanc tu destillationem admiraris, ac si res impossibilis narrata foret, his tamen euidentissima. Cum sit qui vix vnquam

destillarũt: videlicet spiritus omnes suapte natura ascendere, quod si non facerent, spiritus esse minimè, nec dici possent: dubitas adhuc de hac destillatione? vide etiam quàm tu tibi minimè cõstes, alijs quoque minus, qui paulò antea dixisti, Aqua enim vitæ rectè dicitur, pro humore vitali, seu radicali vniuscuiusque rei: adhuc quæris an spiritus vini ab omnibus aqua vitæ non appelletur? Nec desinis in authoritatem citare magistros Essentiarum quintarum contra Theophrastum, ac si tantum vnica via foret ad artem hanc, quã necessario cogerentur omnes ingredi. Varios artis authores legisse vel intellexisse non videris, qui diuersas esse vias ad vnum & eundem finem, vel scopum tendentes, breuiorem, ac faciliorem vnam tamen altera fatentur omnes. Ex his mentẽ collige melius Theophrasti, quàm prius feceris in extractione spiritus vini, falsamq́ue falso ne iudices amplius. In maiorem insaniam sic erumpis.

Quis vnquam Philosophorum cum Gebro non dixit Aurum esse homogeneum, ideo

ideo ſecundum Pliuium igne indomitum, & cætera.

Reſpondeo. Quis Leonis Suauij craſſum non mirabitur ingenium, quod Theophraſtum non potuit, Gebrum intelligere ſibi perſuaſum habet? Non vides miſerrimè Gebrum illudere te, nec non alios naſutulos his verbis. Verum eſt, Aurum manens aurum, vel de ſua natura metallica non immutatum, eſt homogeneum, at in primam ſui materiam reductum, non eſt amplius aurum, nec etiam à Gebro ſic appellatur vlterius: cum Plinio fatemur etiam Aurum purum elementari quidem igne, vel naturali plurimum indomitum, ſed ſupernaturali, metaphyſico, vel artificiali cedere compertum eſt. Subdis & hoc,

Hæc itaque exiſtimo ex Paracelſi fontibus claris nunquam hauſta fuiſſe, ſed ab artis penetralibus ſubtiliſſimè inſerta. Quod ex ipſo Gerardo liquet clariſſimè, qui de tribus ænigmatibus, ſecundum fecit, vnum poſt quinque, nihil N, poſt quinque millenum colloca, id eſt, vinum (quia N. litera non eſt numeralis) quaſi vero deſtillationem vini lippis, &

tonsoribus notam, conueniat integumentis ænigmaticis adumbrari, &c.

Respondeo, te verè lippum esse fateri, cum de vino me scribere, quo madunt pocula Bacchi non videas.

Putásne aliud esse vinum, ex quo potest etiam ardens aqua destillari? rursus eo, quàm paucam in arte chymica peritiam habeas, patefacis. Vidésne me descripsisse prius ardentis extractionem aquæ de vulgari vino: bis rem eandem agere, quid opus erat, si de vino quod intelligis ego putassem? Est quod addiscas, id omne ex quo potest ardens aqua elici, vinum apud Philosophos appellari metaphoricè.

Etiam ex varijs corporibus ardentem aquam, ac inflammabilem extrahi posse, præterquã ex vino, videris ignorare. De arte coquinaria tua nescio quid offæ non salsæ, mihi falso non vereris obijcere, cuius ego nullam feci mentionem: offa tu solus vescere tua: coquinam vt tu non exerceo, sed chymicam artem. Ostentare præterea vulgo tuum ingenium ambitiosè dum conaris, imprudentiã huic, atq; doctis viris

ris tuam detegis. Quòd si Phœbi potẽs oracula reſerare tu Leo fores, vt per ironiam canere de te videtur epigramma græcum Petri Morelli à Gillio Pinautio latinè redditum: fortaſsis quòd meum ænigma reſoluiſſe te iactaſſes apud populum, cur tu primũ, & etiã tertium, ænigmata reſoluere non potuiſti? aliâs nõ reliquiſſes. Tuo certè quod nõdum eius vix adhuc attigeris, quanto minus ſolueris, ingenio minimè debetur, ſed illi dictioni, quã ſtudioſe ſub finem appoſui (colloca) tibi ſimiles, & incautos, atq; mordaces vt in prædam facerẽ, ſuoq; vino eos obruerẽ, ac alijs, quòd alios eſſe cupiãt, ludibrio forẽt permaximo. Nõ miror amplius, quî factũ ſit, vt oẽs libelli mei locos pręter hũc (quẽ etiã non tetigiſti) reliqueris intactos. voluiſti prius experiri, quidnã ad macrã, quã coxeras offam adderẽ ſalſamenti, credens fortè me ſalſamentariũ eſſe. Nihil prorſus magis cuperẽ, quàm vt in illis carpẽdis maiorẽ occaſionẽ doctis depingẽdi viris, q̃ ſis in officina Theophraſtica macer offarius attuliſſes: & interim tamẽ eius interpretem eſſe te iactas, ac alios eius veros diſcipulos reijcis. At vide ſis in

iſtis interpretationibus, quàm antea tuis in obtrectationibus fuiſti, cautior: ne quos in ſcriptis Theophraſticis erraſſe perperam ſomnias, illi te poſtmodũ ea deprauaſſe per ignorantiã luce clarius demonſtrent. Grato contra feremus animo, ſi tanti viri difficilima ſcripta ſincero ſtudio iuueris, & præter fucum enucleare lectoribus. Sed quod laudem, ex aliorũ vituperio tibi parare cupias, ab officio docti viri, grauitateq́ue quàm alienũ ſit, ipſum te noſce puto. Ad iniurias tũas vt redeamus, hæc ſubiungis.

Supereſt (inquis) in fine huius extractionis, graduatio illius ſpiritus, quem vterq; ſcribit (alterum eorum me putas) non vltra quintam eſſentiam ſubtiliari, quum vltra quintã vicem ſonet germanicus ſermo. Hoc eſt (inquiunt) 2. 4. 0. Vbi legendum eſt (vt ex te ſomnias) 24. qui gradus eſt vltimus auri perfecti naturalis, id eſt 24. Karatti, ex ſermone aurificũ & monetariorũ: aliâs (addunt) comburitur. Quis vnquam aurũ comburi auſus eſt affirmare? Addam in adminiſtratione theriaçam venetam à Gerardo præſcribi, quem dubito de therebinthina çogitaſſe: epitheto in theriaca ridiculo, & acceſſione ad authorẽ in epito-

epitome superflua. Ex his licet lectori de cæteris horum interpretum somnijs coniectare.

Respondeo, sic debuisse te Leonem dixisse de te ipso, Ex his licet lectori de cæteris meis interpretationibus, à calumniarum falsis obiectionibus coniectare: quas audiat quisquis hæc legerit, vt ex æquitate iudicet. Dicis me scripsisse, Non vltra essentiam quintam subtiliari, quum germanicus sermo, vltra quintam vicem sonet. Specularibus indiguisti, lippę menti potius, quàm oculis vt subuenires. Addam germanicum ex ipsomet Theophrasto sermonem, vt iudicent lectores an vtrumq; non contineat scilicet, ad quintam vicem, & vltra quintam essentiam.

Weyter so das geschehen ist/solt du das gradieren zum fünffte mal/ durch seins geleich retorten / nach der klein der substantz vnd materia/ wiewol das ist / das solchen gradieren allein geschicht durch die eleuation/vnd die sie subtil macht/so last es sit doch vber das fünffte wesen nit bringen / das ist auff. ij. iiij. o. würde auch weyter verbrent wer-

den/vt &c. Adiunge tibi germanos interpretes vt exponant, quid latinè sonent hæc verba (fünffte wesen) & ista pariter, (das ist auff. ij. iiij. o. würde auch weyter verbrent werden) & inde iudicetur, quàm ad interpretationes germanicorum scriptorum Theophrasti (licet germanos habueris interpretes) aptus extiteris, vt imposterum etiam iudices melius, aut abstineas. Nec est quod excuses te primam sententiam tantum inspexisse, quæ quinam vicem habet, quia præpositio hæc vltra, germanicè (vber) adhæret posteriori de quinta essentia mentionem facienti: vbi prior de graduatione solum per eleuationem facta loquitur. Ad harum operationum differentiam notandam lectoribus, addit author (wiewol das ist / das solchen gradierē allein geschicht durch die eleuation) & antea vas posuit in quo fieri debet eleuatio his verbis (durch seins geleich retorten) putas tu quintam essentiam fieri per vas retortum: ignoras video quid sibi velit author per hæc verba (auff ij. iiij. o. quæ postmodum interpretaris ineptissimè,
per

per 24. Karattos graduum auri. Iudicium quod in his tribus characteribus facis, indicat Arithmetices te non vsque adeo peritum fore: qui non facis discrimen, inter punctis disiunctos, & cohærentes numeros. Si puncta quidem vt innuere videris auferantur, non viginti quatuor, sed ducenta & quadraginta significabunt, nam & ziphara pro loci quidem occupatione, rationem habere te opportuit, aut explicare cur author eam addidit. Quod etiam de Karattis 24. & auri gradibus fabularis hoc loco, puerile nimis, & ridiculum est: nam ipsi tibi contradicis imprudens, quum hanc dictionem addis, naturalis perfectionis auri. Non perpendisti, vel ignorasti potius tincturam auri, necnon eius extractionem esse metaphysicam, & non ex artificio naturæ. Melius ut in te ipsum debaccheris, addis inferius.

Addam (inquis) hic tantum de gradibus auri vel Karattis, ex quæstione quadam de Peste incerti authoris eruditissimi tamen, quisquis ille fuit. Aurum demus natiuum, purum putum, esse vnius gradus aureitatis integri,

philosophorum

philosophorum vero, erit centum vel mille graduum integrorum.

Non vides differentiam factam inter natiuum aurum, & philosophorum quod supra tetigi, quum Gebri produceres authoritatem.

Addam (subiungis) in administratione theriacam venetam à Gerardo præscribi.

Audiant lectores quid habeant verba germanica. **Die eingebung / der goldischen tinctur / zů nemmen die zerstörung der offnen schaden / ist also / das du sie vermischest / ein quintlin vnder ein vntz des besten Tiriax.** Consule germanos, vtrum hæc oratiõ (**des besten Tiriax**) optimæ theriacæ latino sermone, vel vt inepte vis therebinthinæ significationem habeat: quæ dictio germanis (**Tramentin**) sonat. Quod venetam loco dictionis, & adiectiui germanici (**des besten**) quod optimæ dicitur latinis, posuerim, hoc à me factum existiment lectores, quia melior hoc nostro sæculo non reperitur ea quę Venetijs euecta est, ac ibi composita. Vides igitur Leo nullum hic epitheto, vel epitome somniatis à te locum esse?

se: Authorem ipsum theriacam intellexisse probo, per ea quæ scribit in compositione theriacalis aquæ, pro coralli tinctura, germanicè) **vnd das aqua Tiriacalis würdt also / Nim spiritum vini zehen lot. Tiriac fünff lot** / &c. Notandum est hic (**Tiriac**) per **c** terminari, quia est accusatiuus, sicuti spiritum vini, qui præcedit in accusatiuo: sed antea quum terminaret in **ß**, erat genitiui casus, docet hoc articulus germanicus præcedens (**des**). Docebis ne germanos Leo Gallus loqui germanicè, precor: ineptus admodum videri nedum, sed palam esse non erubescis. Veneni residui demum id euomis.

Hic ego à Gerardo, & reliquis, huius salis philosophici, auriq; & antimonij aliquam explicationem, non nudam tantum narrationem desidero: satis tamen inscitiæ arguuntur, quod postea in Solis essentia quinta, ad spiritum istum vini falsò descriptum, nos relegant.

Expiscatoriam putas postulationem facere, quasi quid nam alas in pectore non intelligerem. Antea iactabundus protulisti salia quæq; de quibusuis elicere nosce te, his verbis.

Sal quidem ad antimonij cristallinum, ex puluere eius rubro confeci. Cætera genera sa-lium mihi sunt facilima, vt medicis quibus-dam huius ciuitatis, atq; honestissimis expe-rientia demonstraui: triplici ratione, hac prompta, alia subtiliore, tertia subtilissima.

Quid opus est, vt à nobis vlterius ea desideres explicari, quæ tibi sal-tem notissima fore dicis? an ea nos i-gnorare putas, vel surrepticiè potius credis addiscere, dum inscitiæ nos ar-guis? Tacitè mendacij Theophra-stum & suos increpas: crasso modo ru-sticorum dixisses potius mentitos esse nos, vt pariter tibi respondere licuisse, falso cōmentata fore omnia, quæ tu in teophrastic. pseudotheophrasticè sug-geris: præsertim quum falso dicis, in Solis essentia quinta ad spiritum vini falso descriptum nos lectores relega-re. Non sat scio quisnam calamum co-hibeat, quin te pro meritis tractem: ni-si vererer incontinentiæ notam in-currere, profecto peius audires, quàm vnquam excogitare valeas. verùm quid peius audire licet, quàm tuum Leonem igaominiæ iugum, proprio

(quę in alios moliebatur) conatu subijsse? Restat vt paucis adhuc ineptijs tuis respondeã, quas ex præli defectu non te pudet in medium adferre: corrigere debuisti, potius quàm eis ad inuectiuæ munitionem vti, sicuti sunt (granorum paradis, pro paradisi) tum illud (chymiñum, pro chymicum) non chymum, vt falso Theophrastum corripis, nihil minus intelligit, imo contrariũ omnino. Quod scribis me falso cõtra sententiam authoris adiecisse, falsum te fingere docebo. Hæc sunt verba germanica (du solt nür ein geben so lang / biß die offen schäden nimmer blüten oder fliessen / das gemeiniklich geschicht in zehẽ oder zwölff tagen) latinè sic. In potum administres, donec nullus cruor purulentus ab vlceribus promanet ampliùs, quod plerunq; fieri solet in decem, aut duodecim diebus. Vide quæso lector, vtrũ sententiam hanc sub duobus tantum verbis restrictam, scilicet (purgat hic pot9 nẽpe, int9 & extra) peruerterim? Est enim authoris opinio, q vlcera tollãtur à radice p sanguinis renouationẽ, hoc

per(intus)significaui,tum etiam per de
structorum expulsionem, vnico tamen
contextu,quod sub(extra)præpositio-
nem exposui breuiter lectoribus: vt ea
quæ scripseram illis de meo faciliùs ca-
perent,non vt illis ad longum(vt aiunt)
explicarem opera Theophrasti. Qui ve
ro malignus est in nihilo,quanto magis
in eius fructu mendacio capit ansam ca
lumniæ. Authoris mentem ipsemet per
turbare conatur legentibus,quum eam
impudentissimè neget, his verbis (nec
purgat intus & extra vt ille, inquit falso
adiecit contra authoris sententiam) In-
dicate vos ô lectores optimi,an iste zoi
lus lolium,& zizaniam in agrum verita
tis non seminet,qui modo palam Theo
phrastum & doctrinam eius laudibus
extollit eximijs, paulo post negare scri-
pta propria Paracelsi non erubescit,
quę tamen diuersissimis libris illius con
cordantibus approbatissima sunt. Hu-
iusmodi farinæ homines & euange-
lium ipsum negarent, nisi per sanctum
Spiritum in Prophetis & Apostolis lo-
quentem firmiter approbatum esset.
Pharisaici fermenti genus hoc philoso-
phantium

phantium eſt, quod ſuam hæreſim nedum in bonis artibus, verum etiam in verbo Dei temerè ſpargunt. In adminiſtratione tincturæ antimonij ſic in me progreſſus es agere.

Adminiſtratio eius eſt, vt in dolium vini recentis in Septembri vel Octobri, id eſt muſti, ſemper ad viginti lot (menſuram ſimpliciter dixit Gerardus) tincturæ ponatur vncia ſemis, & ſimul digeri, purificariq; ambo permittantur. De vino bibant patientes, ad tres, vel quatuor ſeptimanas pro alijs hauſtibus, non, ante alios hauſtus, ſecundum Gerardum Dorn,

Non vereris ineptè nugator verba Theophraſti Germanica ſtudioſè potius quàm turpiter immutare, quum pro viginti menſuris, quas germanicè (zwentzig maß) ponit Paracelſus, tu verò quadraginta. Hæc ſunt authoris verba: Zů nemmen die tinctur des antimonij iſt am beſten ſo ein wein moſt in ein faß gethan iſt/vnnd alle mal auff zwentzig maß wein ein lot diſer tinctur/vnd alſo miteinander laſſen veriären auff ſein ſtatt/nachfolgends von dem wein zů drincken geben/vnd gedruncken für alle an-

dere dränck auff drei od vier wochen oder lenger/&c.

Hoc loco te Germanos, & Vallenses Belgas oportet consulere: docebunt Germani te pro (**zwentzig maß**) viginti mensuras intelligere: quod ego. Belgæ verò pro viginti lot (vt ais) melius lotz in plurali, quadraginta mensuras interpretabuntur. vide quæso quantam in eo mihi, sed potius tibi facias iniuriam, cum de rebus minimè cognitis pertinaciter alios præter æquitatem arguere præsumas. Ad alteram particulam nunc veniẽdum est, quæ sic habet.

(pro alijs haustibus, non, ante alios haustus secundum Gerardum Dorn.)

Iam video te præ nimio studio huius artis chymericæ, potius quàm chymicæ, grammatices oblitum esse. Ignoras quæso præpositionem ante cum accusatiuo alios, eleganter significare prę alios, vel absque alijs? hæc fuit opinio mea Suaui Leo, non suauis. Iaculũ postremum, quod in me soluis, & in te redundabit cum cæteris, tandem attigimus.

Superest (inquis) solummodo vocabulum no-

uum

num Lilig, ex libro Chirurgiæ Theophrasti Germanico exponendum, quod nulla in lingua vsurpatum reperio, &c. Nisi legamus (subdis) stibi pro lilli, quod legit Gerardus Dorn, qui perperam subijcit croceum post flauum in calcinatione, &c.

Dicis Leo te vocabulum Lilig in linguarum diuersis commentarijs, & apud multos earum peritos reperire nõ posse: profecto si libellum meum cum attentione legisses, is in rectam semitam duxisset admonens, in eo non quęrendum, in quo quæsitum non reperitur. Cur potius inter carbones illud nõ quæsiuisti? fortasis non inuenisses: at illi te relegassent ad ignem, in quo lilli nati sunt. Conquereris postmodum lilli, me, loco lilig legisse. Falsum hoc fore comperient quotquot germanicum textum legent, & vtrunque successiuè tamen in eo cõtineri. Quapropter germanicum addere non pigebit.

Nim den antimonium / zum allerbesten in das alcool verwandlet / demnach so reuerberier jn in einem verschlossenen reuerberatorio auff ein monat / so würdt ein volatile/

am ersten weiß/darnach gål/am le-sten rot vnd braun farb / leicht vnd gering. So er nun rot ist/ vnd in dz ende reuerberiert / so nim jhn vnnd zeüch jhm auß sein wesen vom lilli/ durch den spiritum vini also / das d selbig zwentzig finger tieff vber jhn außgang/vnd so das wesen antimo nij im spiritu vini ist so scheids von einander / vnd behalt den spiritum vini zůsammen also vermischt/das ist die hóchste der gantzen lilig reini gung/&c.

Non est enim alia differentia inter lilli, & lillig, quàm inter germanicos articulos (vom) & (der) id est, inter ablatiuum, & genitiuum casus: quod supra de (Tiriac) & (Tiriax) diximus. Postremum hoc esto.

Gerardus Dorn, perperam subijcit (ais) croceũ post flauum, in calcinatione.

Textus germanicus hoc idem habet, nempe. So wirt ein volatile/am ersten weiß/ darnach gål / am letsten rot vnd braun farb/&c.

Germani profecto ridebunt inscitiam

tuam

tuam linguæ Germanicæ, voluiſſe te penes eiuſdem ignaros gallos iactaſſe. Ex Germanis perquire nũ iſta colorũ nomina germanica(**weiß/gål/rot vñ braun**)Latinè per ordinem textus obſeruatum, album, flauum, rubeum atq; croceum non ſignificent? Qualem te philoſophum prodis, qui colores igno rare fateris philoſophicos, & inter extremos ordine ſuccedentes medios? Plura de his tecum agere poſſem, niſi me tederet ineptiarum tuarum. Supereſt vt his qui Spagyricam artem norũt oſtendam ex ore tuo, qualis exiſtas alchymiſta, vel Theophraſtiſta magis, cũ differentiam inter calcinationẽ, & ſublimationem facere non poſsis. Dic quęſo metalla vel mineralia fiunt calcinatione volatilia, quod hic intelligis, quum in fine præparationis lilig, hoc ſubdas, (in calcinatione) De cætero te pudeat inter deſtillatores imperitiſsimos comparere, quanto magis in Spagyricorũ te numerum ſubtrudere. Melius profecto quàm prouinciã tam difficilem ſuſcipere, dormiuiſſes. Miror ſi poſtmodum auſus eris hiſcere, niſi perfrictam

frontē omnino habeas. At qui ſibi lar-
uam, vt feciſti poſuerunt, propter ſuam
ignorantiā agnoſci pertimeſcunt. Hāc
depone, videamus quem I. G. P. tanto-
perè celarunt hominem. Ignotus homi
nes inuadere conaris: proditorum hoc
officium habetur in Germania, tum im
mutare nomen, ſuſpicionem adfert ma
ximam. Sed cur generoſum (non tuū)
Leonem imitabor, qui mox adepta vi-
ctoria, ſuccumbenti catulo parcit? Nō
ita Leo Sannius mecum egiſſet, ſi ſan-
nis eius ſtrenuè non reſiſtens, illi for-
taſsis in caſſes præda petita ſuas incidiſ
ſem. Suauius tamē àgendum eſt, quàm
egerit, vt facti pœniteat, ac reſipiſcat
impoſterum. Lector optimè Vale, & ſi
fortaſsis, quàm libenter audie-
ris egerim, ignoſce precor:
famam tueri licet.

FINIS.

TYPOGRAPH. LEONI SVAVIO, I. G. P.

Mihi tecum nulla, Leo Suaui, de Hippocratica seu Theophrastica medicina, an hanc non intelligens labefactes, an verò illam promouere studeas, quæstio aut controuersia est: nihil enim ego in dubium reuoco, quòd neutrum profitear, aut alteram vel tantillum intelligam. Sed mihi immerito de calumnia illata in ius vocandus es per humanitatis & prudentiæ leges iurisq́; gentium omnium, in quas tu illarum non imperitus, plus æquo affectibus indulgens turpißimè impegisti. Efficacior enim in te fuit naturalis illa leuitas, quàm philosophiæ eruditio & legum peritia, quas tuis in scriptis sparsim verbis tantum magnificè ostentas. Quid enim leuius & à philosopho alienius esse potest, quàm alios non indoctos homines, sæpius etiam te forsitan doctiores, cum docent disputantq́; de rebus grauißimis lacessere, conuitijsq́; proscindere, nulliq́; parcere, si quid fortè dixerint quod non omnino arrideat, & alicubi (vt ille ait) bonus dormitarit Homerus: cum interim præterea & doctè disputarint, & sapienter sanxerint, sine discrimine tam in viuos quàm in mortuos debacchari? Impudentißimè quoq; facit si quis ignotam sibi factorum rationem, aut res ipsas, liuore tantum quodam & ingenij prauitate abreptus, non reprehendat modò, sed etiam capitaliter criminetur. Hunc tu, Leo Suaui, philosophum censebis, qualem te esse in tuo paßim scripto videri cupis? Ego verò neque philosophi neque hominis nomine dignum iudico. talem

vero te quicunq; scriptum hoc tuam in Paracelsum legerint deprehendent, vanum scilicet ostentatorem, mendacem, impudentem, & rerum de quibus scribis ignorantissimum. Et vt quod sentio, quodq; à doctis vtriusque sectæ medicis audiui in medium proferam, nemini satisfacis: vterq; Theophrastica te prorsus ignorare affirmat, atque ostentare potius vtramque medicinam quàm alteram callere dicunt: hæc vero duo hac tua vnica scriptione obtinuisse, vt vtriq; inuisus, nullam cum Hippocraticis & Methodicis iniйsse gratiam nisi malam, alterum quòd à Spagyricis et Theophrasticis malè accipieris, tanquam eorum artis prorsus ignarus, etiam si omnes solus Theophrasticos coemas libros solusq; possideas, cum eius linguæ ignarus sis, in qua ille ferè sua omnia, præter pauca, scripsit. At quum ego hîc nullius patrocinium suscepe rim, missos illos faciens quos tu inhumaniter tractas (quamq; & impiissimè leuissimeq; fecisse videri potes, quod & in mortuos & eos illustres philosophos, de literis optimè meritos, de rebus naturalibus atq; diuinis, qui hactenus apud oẽs bonos et doctos communi consensu in precio fuerunt, sine discrimine tanquã in rudes asinos impudentissime inueheris) ad me ipsum venio, deq; me loquar: quem cum tu non noueris, neq; quid in me mentiaris scias, vt elegans videaris & facundus, calumniarum tuarum flumine, vnà cum nobili atq; illustri Paracelsi alumno D. Adamo à Bodenstein, innoluis atq; trahis, impostorem mentiendo & furem appellans. Non hæc in schola philosophorum maximorum, qnibus iam non parem te modò

habe-

haberi, sed & superiorem quoque cum illos contemnis, iactanter existimas, neque minus Christi magistri, sed nebulonum & sycophantarum contubernio didicisti. At ne ego videar in te, vt tu in alios fecisti, calumniose agere, testem te ipsum voco, iudicéq; facio, vt ex verbis tuis iudices. Ita namque scribis in præfatione scholiorum tuorum in quatuor libros Paracelsi de vita longa, quam totam ferè conuitijs & calumnijs refarxisti, pagina 136. tua editionis.

Libris autem his quatuor de vita longa inseruit (Adamus) quartum vnum velut supposititium partum, quarto verò atque legitimo in quintum numerum vi quadam eiecto, & iniustè de sua possessione deturbato, in reliquis libris facta quorundam verborum vel syllabarum immutatione penè ridicula, vt opus vænalius prostaret, quod nouum hac parte, incrementi emptori esse videretur (magnæ enim sunt hodie, ditesq; librorũ in Germania nundinę) Adamum medicum non puduisse, quartum istum librum nugis inanibus scatentem obtrudere, qui nec serie rerum vlla cum reliquis cohæreat, nec sententiarũ Paracelsi subtilitatem, nec dictionis grauitatem redoleat. Miror, inquam, illum lucri vel gloriolæ spe, adeò fuisse typographi imposturæ, qui more propolarum rei suffuratæ nouam dissuendo speciem induunt, furti tegendi gratia, &c.

Ista sunt tua verba (impudentissime) liuorem euomentia tuum: quorum te, si micam pudoris haberes, multo magis pudere deberet, ea quæ dicis malitiosè

fingentem, quàm D. Adamum quæ vera sunt sui magistri, prodentem. Ita ne philosophum agis, quem ab omni fuco & mendacio abhorrentem descripsisti? Sed tu verbotenus tantũ philosophus es, re autem vera mendacißimus calumniator, virgis ad ignominiam publicè, ne quid peius dicam, cædendus. Sed ne & ego quoque videar potius ex animi commotione atq; vindictæ appetentia loqui quàm veritate, age oculari demonstratione omnibus videre volentibus ostẽdamus. Ante annos plus minus quinq; D. Adamus præfatus, mihi vicino suo ante alios beneuolentiæ erga me suæ & vicinitatis ergò, libros quinq; de vita longa Theophrasti Paracelsi, scriptos clarißimi nunc typographi Io. Oporini manu, olim ipsius Paracelsi amanuensis, ipso dictante authore, eodemq; ordine quo à me impreßi sunt, ne apice quidem addito vel dempto, imprimendos tradidit. Cuius rei nobis testis locuples est non solum ipse Ioann. Oporinus, sed & exemplar ipsum: quod adhuc apud D. Adamum asseruatur, voluit enim quasi huiusce tragœdiæ præsagus sibi incorruptũ reddi. Quod si quis hoc qđ à me nunc dicitur inficiari velit, veniat visum, oculosq; suos testes adhibeat. Quid igitur opus fuit, homo leuißime, in nos ita insulsißimè debacchari atq; mentiri? Quis tibi posthac si contingat te veritatem dicere, credet? Sed tu, si ex vnguibus Leonem æstimare licet, æquè nosti Paracelsi doctrinam atq; morem: quem velis nolis hodie à me disces, qui neque doctor sum, neque medicus, multo minus Paracelsi discipulus. Qui mos talis illi fuit, vt idẽ sæpius scripserit, neque eadem methodo, neque ijsdem
verbis,

verbis, ſed in eandem ſententiã, vt in multis libris feciſſe conſtat, & in hoc præſertim de vita longa, quẽ eadem Oporini manu apud eundem Doctorem videbis quatuor tantũ libros continentem, videbis & illum de quo nos impreßimus quinque libris cõſtare. Et nunc ſub prælo habeo librum eiuſdem de Anatomia Oporini item manu ſcriptum, quamuis antea fuerit excuſus, neſcio cuius manu. Imprimo & librum de Gradibus, quem video tibi familiarem, cum præfatione & ſcholijs eiuſdem Adami, in qua paucis tibi ſatis reſpondet. Diſce itaque ictus & conuictus tuum leue iudicium ſuſpendere atque linguam. Quod verò me furem & impoſtorem appellas, id ſi in te & tuos verteris, poteſt fieri, vt nõ mentiaris. Nos lucri gratia, vt audiſti, nemini impoſuimus, nemini quicquã furati ſumus, ſed bona fide quæ inuenimus, lectoribus communicauimus in Reip. gratiã & cõmodum: lucrum verò quod inde ſperabamus veſtri nobis imponẽtes furati ſunt. Neque hîc nugamur vt tu, ſed noſtro malo veritatẽ dicimus. Sed in te retorquendo telũ optima ratione impoſtor appellaberis. Quid enim aliud eſt impoſtor, niſi qui quod fictũ & falſum eſt oſtentat, et quod verũ, abſcõdit atq; ſupprimit? vnde ſuppoſititius aut impoſititius partus, cũ vero clam ſubmoto, adulterinum ſub ponis, aut clam imponis. Nonne & tu, vir integerrime, proprio nomine omiſſo, veſtigijs tantum veri nominis relictis Hieroglyficorum more, fictitium & adulterinum Leonem ſuppoſuiſti? vt ſi forte ſcriptum tuum arriſiſſet, non careres vana illa glorio la apud ſapientes & Hieroglificorum indagatores,

qui reliquo vulgo nomen tuum inclamarent, et quod in notis literarum I. G. P. tectius indicasti, apertißimè binis in locis te clarißimis viris atque doctißimis adnumerasti. Interim sub clypeo obscuritatis voluisti ijs ignotus esse, quos ignorantiæ imposturæ, furti, &c. publice accusasti. Reliqua nolo prosequi, postquam et me purgaui & in te calumnias & criminationes retorsi. Dicendum restaret à me typographo de tuo tam artificiose et tam bene emendato libro, sed de optimo humanißimoq; amico meo, quem puto præter nomen & sumptum nihil in librum contulisse, idq; vt tibi (quæ sua est in omnes humanitas) gratificaretur, cū ipse domi suæ non excudat, sed iners aliquis, mancipium potius dixerim, excusit, vt patellæ dignum aptaret operculum. Sed ad alia meliora vocor.

Vale Idibus Febr. Basileæ anno
M. D. LXVIII.

FINIS.

BASILEAE,
PER PETRVM PERNAM.

